

EDITIONS - RELIURES
SCHORTGEN



All Buchbinder-Arbeiten.
Rammen, Biller a Bicher
43, rue Marie Muller-Tesch
L-4250 ESCH-ALZETTE
Telephone 55 28 36



N.A. 356819

bc: 90.173

272 (430) "16" (093)

273 (430) "16" (093)


Inquis. - E.V. - 514

MD



IN VERITATE
LIBERTAS

UNIVERSIDAD SAN PABLO CEU
BIBLIOTECA
EMILE v.d. VEKENE



Inquisitio Catholica

D B

TRACTANDIS

HERETICIS:

Opposita Inquisitioni Hispanica, ejusq; crudelitatatis authoribus & defensoribus:

Scripta

AD MAGISTRATUM

Reipub. Christianæ,

ET

Sub Præsidio

REVERENDI ET

Clarissimi Viri,

D N. ANDREAE OSI-

ANDRI, S S. THEOL. DOCTO-

ris & Professoris, Ecclesiæ Tubingensis Præpositi, &

Academiæ Cancellarii dignissimi, Præceptoris sui honorandi.

Ad discutiendum proposita 15. & 16. Septembris, loco & horis consuetis,

à

M. Francisco Arnoldo

Heilprunnense.

Jam secundo edita, aucta & emendata.

Sumus quasi morientes, & ecce vivimus:

quasi correpti, & non occisi. 2. Cor. 6. 9.

TUBINGÆ,

TYPIS CELLIANIS.

M. D. C. X.

Collection
Emile van der Vekene
Luxembourg

ILLVSTRISSIMO

CELSISSIMO QVE PRINCI-
pi, ac Dn. DN. GEORGIO FRIDERICO, Marchioni Baden-
si, & Hochbergensi, Comiti Provinciali in Susenberg, Domino in
Röttelen & Badenvweiler, &c. Domino suo clementissimo,
salutem & gratiam per CHRISTUM
precatur.



*Postolum legimus, Illustrissime Princeps, Do-
mine clementissime, communem Ecclesie L. hic
militantis sortem describere, quando ad Gal. c. 4. 9.
ait: quemadmodum tunc is, qui secundum carnem
natus erat, persequabatur eum, qui natus erat se-
cundum Spiritum: ita & nunc. Quibus verbi bre-
vissimè & præteriti temporis conditionem repetere, & futuri (maximè
nostri temporis) statum, D. Spiritu prædicere voluisse, & scopus Apostoli
ostendit, & eventus comprobatur. De Veteris quidem Testamenti Ecclesia,
tùm ea, quæ Apostolorum tempore fuit, hoc probare nihil attinet, quia ex
S. historia res est manifesta. Sed neq; melioris conditionis Ecclesiam post
fuisse, testis est sufficiens historia Ecclesiastica. Primum quidem sub magi-
stratu infideli 300. annis circiter miserè distracta est Christi Ecclesia. Non
minus periclitata est tempore Imperatorum Christianorum, propter here-
ticorum violentiam, qui orthodoxam Ecclesiam hæresi & gladio evertere
operam dederunt; adeoq; duplex Ecclesie hostis fuit, & qui foris turbaret,
& qui intus oppugnaret. Sed ne longius exempla petere opus habeamus,
quæ ubiq; obvia sunt, veniamus ad nostrum seculum, eaq; tempora, quæ ho-
minum memoria gesta sunt: quorum sine luctu nemo recordari potest.
Postquam enim DEVS singulari quodam bonitatis affectu, charissimam
patriam nostram complexus, Germaniam, inquam, Evangelii sui splendo-
re illustrâset, per Electum ipsi organum D. Lutherum, quanti, bone DE-
VS, motus! quantæ persecutiones coorte! quanti & quantorum conatus
à Sathana excitati sunt, qui nocturnarum instar lucem hanc Evangelii na-
scentem non sustinentes, eam obscurare, perpetuis Antichristianis tenebris
obnubilare, extinguere, & ut dicitur, in herba opprimere voluerunt! Ve-
rùm placuit DEO, opus quod cœpit perficere, tumultuantibus & fremen-
tibus*

tribus interea Sathanas mundo. Quapropter cum aliquandiu vehementer
tempestate navicula hec Ecclesie jactata esset, tandem ne obrueretur, mo-
tos hos fluctus componi jussit, ille sc. qui in vicula huic presidet, & cui ven-
tus & mare obediunt: Matth. 8. 26. atq; sic tandem ad portum conduxit,
concessis Patronis, Magistratibus, Nutritiis, Principibus, Regibus & Imp-
eratoribus, qui de publica pace & securitate navicula huic prospexere. Ad
portum sic perducta res Ecclesie, adeo velociter currit sermo eius, ut quasi
per medium Cœli lapsus, extera regna suis radiis mox collustravit. Quare
cum Sathanas animadverteret, se constantiam horum Germanorum & fi-
dem labefactare non posse, ad extera loca se convertit, ubi Evangelium
jam fructificare coepit. Belgium primum commovet, misso ex Hispania &
Italia milite crudeli, qui nullum tyrannidis scelus omisit, tantaq; cupidi-
tate sanguinem humanum sitiivit, ut eo satiari modus nunquam fuerit.
Quotquot in religionis suspicionem venerunt, in discrimen adducti, cri-
minis lese majestatis accusati, & ad aram inquisitionis sue mactati sunt,
nullo habito respectu Generosi sanguinis, Nobilium, Baronum, Comitum,
quos historia nominatim recensent. Everso sic Belgio, Galliam concutien-
dam sibi Sathanas sumit. Instituta hinc inde primum persecutione, tenta-
vit ventilare, opprimere, aut regno ejicere, quos Evangelio nomen dedisse
exploratum esset. Tandem nefaria foederis societate constitutum est uno
die omnes per singulas provincias obruere. Quibusdam in locis in tem-
pla convocatos inermes, quasi Edicti Regii audiendi causa jugularunt, ut
ex illorum numero esse constaret, de quibus Christus ait: Domus mea est
domus precatationis, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Matth. 21.
Alibi in agris, alibi in adibus quasi sunt ad mortem, nocturno tempore, ut
in laniena Parisiensi, quò novo huic crudelitatis generi nomen compara-
rent, quod in memoriam tanti sceleris dixerunt matutinas Parisienses,
atq; sic distingueretur à vespertinis Siculis, quibus simile flagitium nomē
dedit: It clamor ad Cœlum, fiunt supplicationes ad Regem de cohibenda ista
militum libidine, quam non tantum in eos exercebant, de quibus fama vel
suspicio esset haeretica opinionis (ut illi loquuntur) sed qui & ipsi Pontificie
doctrina sectatores essent, idq; ex privatis affectibus, lucri vel odii aliorum:
quod DEVS singulari providentia fieri permisit, ut scelus hoc in ipsorum
authorum caput conversum, rei impietatem & indignitatem evidentius
ostenderet. Foris sic oppugnata Ecclesia, tandem Sathanas assumptis aliis
septem Spiritibus seipso nequioribus ad Germaniam nostram vastandam,
magna cum indignatione redit. Obstat hic primò pacti religio, & jurisju-
randi Sacramentum, quo ordines sibi mutuo obstricti, quodq; sancta & Ger-
mana:

*mana fide colere populum hunc ipsa natura docuit. Verum ecce nequiti-
 am septem illorum Spirituum: Iusjurandum venale habere homines do-
 cent: quod DEO teste promissum, sine religione solvi posse perhibent. Fi-
 dem hæreticis datam non servandam esse contendunt! O hominem fidem!
 O nequitiam! O mendacium! Sed neq; tamen omnibus hoc (illi Spi-
 ritus) persuaserunt. Sunt enim candidioris & constantioris pectoris ali-
 qui, quibus animus non est, fidem a se datam prodere. Quare quod publi-
 ca omnium auctoritate hætenus se facere non posse sentiunt, callide id sin-
 gulorum ingenio & arte tentandum putant, usq; tandem totam Ecclesiam
 paulatim circumveniant. Specimina hujus artis jam extant aliqua. Ante
 decennium fortè ex Styria, Carinthia & Carniola tot Evangelii confessores
 ejecti sunt, ut uno sæpe die infinita hominum multitudo instar exercitus
 ad superiores partes Danubii appulerit, cum infantibus & lactantibus, eun-
 tes scilicet ibant & flebant portantes preciosum semen. Ps. 126. 6. Et licet non
 adeò cruenta fuerit illa persecutio, quod naturali benignitati Principis
 magis, q̄ nequioribus illis Spiritibus impulsoribus ascribendum: tamen ty-
 rannidem hanc in conscientias hominum, DEO summè displicere inter al-
 lia, certissimo hoc indicio ostendit, quod quanto fortius illi ex finibus suis
 una parte Evangelii confessores expulerunt, tanto viciniore ex altera
 parte Mahometica impietatis sectatores habuerunt: adeò ut eo loco Turcas
 jam degere videant, ubi antè Christianos ferre noluerunt, qui tamen sui
 magistratus observantes, & ad aram usque abedientes, atq; sic apud ipsos
 Tartaros innocentes fuerunt, ut S. historia loquitur. 2. Maccab. 4. 46. Quid?
 quod in medietate Germaniæ nostræ ausi sunt superioribus annis in Dio-
 cesi Fuldensi similem tragediam nobis exhibere! An non satis longinqua
 persecutione attrita & imminuta est Hungaria? Quæ & pro patriæ salute
 quotidie conflictari, & contra persecutores hos dimicare hætenus visa est?
 Quid modo in Austria? An nõ satis ibi ferbuit persecutio? Quid exercitus?
 An non ut crudeli gladio exscinderentur omnes sinceri Evangelii confes-
 sores? Quid modo in Bohemia? An non audiebantur crudeles ille voces,
 quibus superioribus persuadere conabantur, præcipuos illos, Generosi san-
 guinis confessores, primum tollendos esse? Hoc scilicet agunt, hoc spectant,
 ut persecutio hæc paulatim impleat latitudinem Ecclesiæ tuæ. O Immanu-
 el! Mirandum verò magis est quàm dolendum in hac nostra Germaniæ
 hæc persecutiones institui, ubi doctrina & opera Antichristi, DEI benefi-
 cio satis nota: tum quod ab iis intenduntur, qui & ipsi Christiani maxime
 esse velunt! Quod si essent, magis eo animo conspirare deberent, ut ad u-
 nitatem fidei Christi, tanquam ad scopum omnes ducerentur & doceren-*

etur: vel si propter cognitionis diversitatem & imperfectionem fieri non
possit, quia cognitio nostra est ex parte tantum, ut Apostolus loquitur, ta-
men ad minimum nos mutuò ferre, & pro Christiana mansuetudine nos
invicem tolerare animus sit: adeoq; secundum admonitionem Apostoli al-
ter alterum honore praeveniamus & honoremus membra, quae sunt magis
infirmata aut minus honesta, q; & natura nos facere jubet & pietas. Rō. 12. 5.
10. 1. Cor. 12. 22. Verum charitas ubiq; refrigescit, & nusquam viscera sunt
benigna, atq; res ipsa loquitur, nunquam Ecclesiam Christi à tempore A-
rianæ crudelitatis plus damni & periculi passam fuisse, quam ab eo tempore,
quo infelix hoc Lolium, à patre LOLOLA, milite Hispano, in agro Domini
disseminatum est, quod novo nomine se vocat. Iesu Sectatores. Sed quid
vani isti Sectatores? Num hoc est sectatorem & discipulum Christi agere
alios persequi? cruentare se cadibus humanis? beluari sanguinem Chri-
stianorum? eo non satiari? ubi Christus hoc praecepit? ubi fecit? ubi
approbavit? Seductores scilicet & persecutores Christi dici debent, non Secta-
tores. Qui enim sunt illi quæso, qui omnium illarum persecutionum no-
stri temporis authores sunt, quæ per Galliam, Belgium & Germaniam no-
stram passim sunt gestæ? Septem illi Spiritus sunt nequam, h. e. Loiolitæ, Je-
suitæ, Sathanae emissarii, Christiani orbis incendiarii, flagellum Ecclesie
DEI, in hoc nati & missi, ut Ecclesiam Christi excindant & evertant, non
minus quam Antiochus ille, tempore Maccabeorum. De his rectè illud
dicere possumus, quod D. Ludovicus Imperator in publicis literis con-
questus est de Papa Iohanne, inquiens: Iohannes ille, qui se Papam 22.
nuncupat, qualis sit, oviculis Christi, nostro beneficio operæ precium
est agnoscere, ne pelle ovina deceptæ, à sævissimo lupo devorentur.
Nempe sanguinem Christianum sicit, discordias, seditionum mala ubi-
bique gentium inter Christianos serit, fratres in fratres armat: Nec li-
cet per hunc ANTICHRISTUM Christianis pacem à DEO datam servare.
Idem inquam, non tantum de omni successore sedis Antichristianæ, sed
præcipue & verissime de Jesuitis dicere possumus; quod quandiu unus
ex illis reliquus fuerit, pacem à DEO & hominibus datam, per hunc ser-
vare non potuerimus. Quare in ea tempora incidimus, ut dicamus cum A-
postolo: Quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus, perse-
quebatur eum, qui erat secundum Spiritum: ita & nunc est. Ea tem-
pora sunt, de quibus Sp. Sanctus ait: vidi mulierem (Antichristum) ebri-
am de sanguine sanctorum & de sanguine martyrum Iesu, Apocal. 17. 6.
Itaq; nobis licet exclamare cum sanctis illis: Vsq; quò Domine, qui es san-
ctus & verax, non iudicas ac vindicas sanguinem nostrum, de his, qui habi-
tant

tant in terra? Apocal. 6. 10. **DEVS** ultionum. **DEVS** ultionum illustrare: exaltare qui iudicas terram: redde retributionem superbis: populum tuum Domine contriverunt, & hereditatem tuam vexaverunt Ps. 10. item Ps. 79. 83 & 94. Dan. 11. 33. O Pastor Israël intende: respice de Cælo & vide & visita vineam istam, quam plantavit dexteratua. Ps. 80. Annon (Bone Christe) verba tua sunt: Ego super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non valebunt adversus eam! Annon vox tua est: Noli timere pusille grex? En Ecclesia tua! En portæ inferorum! En grex pusillus! En timor! En lupi!

Verum ecce non dormitat, qui custodit Israël, sed clamantes nos exaudit: propter miseriam enim inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Iekova. Ps. 12. 7. Ecce novum auxilium! Exurgit **DEVS**, & dissipantur inimici ejus! Ps. 68.

Quis enim queso ille, qui unicum Ecclesie reformatorem D. Lutherum contra totum mundum & portas inferorum defendit? Quis posteritati illius pacem in nostra Germania concessit? Quis superiori anno palmam dedit Ecclesiis Hungaricis? Quis jam jam victoriam Ecclesie in Austria, Bohemia & alibi constituit tam illustrem, in tanta bestie Romane indignatione? Bonus hic Pastor Israëlis! Qui corda hominum in sua manu habet, eaq; regit, ut lubet: qui aufert bella usq; ad finem terra: arcum conterit: confringit arma, & currus comburit igni. Qui dixit quiescite & agnoscite, quoniam ego sum **DEVS**: Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Ps. 46. 10. Quare cum **DEVS** sit refugium nostrum & virtus, non timemus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in medium maris: sed ex certissimis **DEI** promissionibus, quibus presentissime Ecclesiam & pusillum hunc gregem tueri pollicitus est: tum ex miraculosa liberatione, qua sub perpetua persecutione huc usq; Ecclesiam conservavit, nos magno animo consolabimur, quod licet tranquillitas Ecclesie his postremis temporibus expectari non possit, propter Sathane & hominum malitiam: tamen sciamus, portas inferorum non prevalituras esse! Quis interea illis furentibus in spe & silentio cum Propheta triumphabimus, dicentes: Classicum canite populi, & vincimini, & audite universe procul terra: confortamini & vincimini: accingite & vincimini: inite consilium & dissipabitur, quia nobiscum Immanuel. Es. 8. 9.

Cum his malis bestiis Antichristianis Ecclesiis nostris concertandum est, Illustrissime & Clementissime Princeps, atq; vigilandum, ne in hereditatem Domini irruant. Quod cum omni tempore, summaq; necessitate omnibus incumbat, qui animum ad Ecclesie curam adjecerunt: id & mihi pro meo modulo, hac precipue temporis injuria in hac materia

licere arbitror. Quam ut in manu sumerem, occasio mihi primùm data est, cum superioribus annis peregrinationem instituissem per Galliam, Belgium & loca alia, cum Nobilissimis, ingenio & virtute florentissimis juvenibus, mea fidei commendatis, DN. BERNHARDO ET IOHANNE BERNHARDO à Mentzingen, Nobilissimi & Amplissimi illius DN. BERNHARDI ET PHILIPPI ERHARDI à Mentzingen, filii, libera Nobilitatis Creichgoie Equitibus, vestre Celsitudinis Vasallis obsequentissimis. Vbi inter alia ea loca perlustravimus, quæ Papistica crudelitas lanienis istis & humani sanguinis, ut aquæ profusione, profanavit. Ad quæ loca cum constituissem, & horror animum percussit, & religio incessit vindicandi aliquando pro virili sanguinem hunc innocentem. Accedit jam causa publica, præsens Ecclesie status turbulentus, qui voti mei me commonefacit, & ut mihi ipsi satisfaciam, extimulat.

His causis impulsus hæc scripsi. Ad V. Celsitudinem autem præcipuè scribere volui, propter pietatis Zelum ferventissimum, quo Ecclesiam DEI & sinceros ejus cultores amplectitur: quod passim notius est, quam ut mea prædicatione opus habeat; id quod & V. Celsitud. & toti ipsius posteritati est maximè honorificum DEOq; inprimis acceptum. Non abs re autem facturum me puto, cum adversarii sanguinolenti Consiliarii passim suis Principibus authores sint, orbem hunc concitandi, & gladio propugnandi suam doctrinam: si hoc submoneam, ut non tantùm V. Celsitudo pacis studio & medio à Christo præscripto & mandato strenuè pergat religionem & veritatem apud suos propagare, quo cœpit: sed unà cum cæteris imperii Principibus, Evangelii confessoribus (quorum hoc munus est) Cæsareæ Majestati sana consilia subministret, quæ ad Ecclesie & labascantis Imperii Romani edificationem faciunt, non ad destructionem: quæ ad pacem, non ad turbas & incendia spectant.

Quod superest Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, demissè oro V. C. ut placido & clementi vultu accipiat hanc opellam meam & compellationem. Meum quod officium est, DEVM benignissimum, custodem Israël oro, ut in hac furentis mundi senecta, pacem Ecclesie diurnam esse velit ad sui nominis gloriam: tum ut inprimis V. C. cum Illustrissima tota familia, Divina sua gratia & benedictione gubernet & custodiat, eamq; bono Ecclesie & Reipub. Christiana commodo, diutissime superesse nobis concedat, Amen. Dabam in Illustri Tubingâ 3. Septembris. 1609.

V. Celsitudini

Subiectissimus

Franciscus Arnoldus.



INQUISITIO CATHOLICA

De tractandis Hæreticis.

I.



Mmensum & implacabile odium Sathanae (antiquo illi serpenti) cum vera Dei Ecclesia intercedere S. literæ à capite ad calcem usque demonstrant: ad oculum ostendit historia Ecclesiastica: testis sufficientissimus est (proh dolor) quotidiana experientia: hæc facies, hæc flamma rerum!

2. Licet verò infinitis modis turbandi, vastandi, concutiendi, & quantum in se est penitus extirpandi DEI Ecclesiam, Sathanas omni ætate, omne studium conferat: tamen duobus præcipuè illum mediis niti, pii semper observârunt, quibus ceu fortissimis arietibus impetum in Ecclesiam facere solet: TYRANNIDE nimirum & HÆRESIBUS.

3. Excitatis enim vel barbaris, truculentis & monstrosis hominibus, DEI & fidelium persecutoribus & juratis hostibus: vel ingenio malè confidentibus aliis, atq; ingenio plus nimis indulgentibus, veritatis & verbi DEI osoribus, eosdem in perniciem Ecclesiæ armat, instruit, ducit: quò si non contrà fundamentum illud in celsissima atque nobilissima petra fundatum & ædificatum præva-

lere queat, ut planè destruat aut evertat, tamen in perpetuo periculo & sollicitudine pios constitutos teneat. Vnde Scriptura passim Ecclesiam & pium quemvis à militari vita & conditione describit, adeoque hinc Ecclesia militans in his terris denominatur, cujus descriptionem graphicè nobis proponit Propheta David, Ps. 128. 2. cum ait: Sæpè expugnauerunt me à juventute mea.

4. Neque tamen semper hæc tristis Ecclesiæ facies fuit, ut duobus istis armis seu gladiis simul, Sathanæ expugnare licuerit Ecclesiam, sed aliquando alterutro tantum, aliquando utroque: pro ut DEO visum est pios suos exercere. Nostro vero tempore (*quod DEVS videat & avertat*) propugnaculum hoc Ecclesiæ utroque ariete, magnoque cum furore aggreditur, atque distinctis copiis & locis simul assultum facere & irrumpere, consilium captat, per fidelissimum suum servum Antichristum Rom. ejusq; fatellites.

5. Quo jure nobis bellum hoc moveat, videamus, & quam causam externè prætendat. Hæretici sunt (ait ille) quare verbis, factis, aggrediendi, occidendi sunt, & è medio tollendi! Quarum tyrannicarum vocum copiam suo loco proferemus.

6. Et nostro quidem seculo compendiosè facit Sathanas, quod meditatur, pater omnis mendacii & homicidii, Joh. 8. 44. Nam quæ superioribus seculis per diversis status & conditionis homines tentavit, politicos (tyranos) & Ecclesiasticos (hæreticos) qui mutuam & fidelem sibi operam in Ecclesia DEI evertenda navarunt, id postremis hisce temporibus, per unius ordinis homines, ambidextros, feliciter agit & magno cum successu: homines dico, qui specioso titulo SODALITATIS JESU, veram Jesu Christi in his terris militantem Ecclesiam acerrimè insectantur, vastant, & crudeli manu distrahunt, atque pedibus conculcant, tanquam soli sufficientes ad hoc tantum facinus

facinus perpetrandum. Non enim satis illis est hæresi Ec-
clesiam DEI perumpere; sed & gladio in eam irruunt, dum
Principes & quosvis seculari potestate instructos contra
Ecclesiam DEI concitant; arma in manus tradunt, exer-
citus præeunt: & voce Stentoria classicum hoc acci-
nunt: Hæreticos occidite: Flamma & gladio delete: Exi-
nanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea, Ps. 1377.

7. Ex his vocibus Sathanicis intelligit quivis Chri-
sti *γῆσι* & discipulus verè lupinam Sathanæ & suorum fi-
delium naturam erga innocentes Christi oviculas. Haud
secus enim comparata est vox illa, quàm lupi illius *Æso-*
pici, qui ut injustissimæ suæ in ovem crudelitatis causam
aliquam prætenderet, aquam sibi turbatam querebatur
ab ove, quæ tamen in inferiore fluminis parte stabat, un-
de aquam illi turbare planè erat *ἀδύνατον*. Ita penitus com-
paratum est *πρόχημα* illud pontificiorum crudelitati in
Lutheranos pretextum.

8. Ne tamen injuriam cuiquam facere, sed causam
Ecclesiæ DEI cum ratione & veritatis amore nos agere
Boni intelligant: deinceps nobis re ipsa demonstrandum
incumbit, quod diximus.

9. Id quod perspicuè gratia DEI adjuti, nos factu-
ros speramus, si rem totam ad 4. capita revocaverimus.
Eaque in primis ex verbo DEI, immoto veritatis prin-
cipio demonstraverimus. Postea rei illustrandæ gratia,
ex sententia Patrum & aliorum saniorum scriptis com-
probaverimus.

10. Capita hæc erunt: *Primo loco considerabimus, qui-
nam sint hæretici dicendi a deo, an Lutherani (ut vocantur)
verè dicantur à Pontificiis hæretici? II. An iidem gladio cor-
porali puniendi? vel quomodo in eos sit animadvertendum?
III. An fides hæreticis data servari debeat? IV. Quales hæ-
retici se gerere debeant erga magistratum, sub quo vivere
volunt?*

Qui sint hæretici? adeoq; an Lutherani verè à Pontificiis dicantur hæretici?

11. Infame & odiosum esse hæreseos nomen, Scriptura docet & experientia. Id cum non de quavis hæresi, quocunque modo dicta, accipi possit, primùm vocis homonymia nobis evolvenda est. Dicitur autem vocabulum *αἱρέσεως ἀπὸ τῆ αἱρέειν*, quod est eligere vel opinari, censere: Ideoq; accipitur duobus potissimùm modis, quantum rem præsentem concernit. 1. Generaliter de quavis electione & opinione quam quis sequitur, qua ab aliis discrepat, unde & sectæ philosophorum hoc nomine dictæ, sine omni tamen contumelia. 2. Specialiter apud Ecclesiasticos sumitur de electione, qua quis sibi certa dogmata eligit & pervicaciter defendit, quæ orthodoxæ fidei nō sunt consona, sed cum expresso DEI verbo pugnant, & fidei fundamentum seu directè seu indirectè concutiunt: In qua posteriori significatione in præsentī materia nobis accipitur.

12. Hujusmodi hæreseon causæ efficientes plerunq; hæc existunt. I. Ignorantia Scripturæ. Hinc Christus Matth. 22. 29. Erratis inquit, nescientes Scripturas. II. Neglectus & contemptus Scripturæ, quando vel ex fastu & supercilio homines sibi errandi immunitatem tribuunt, *φιλαυτία*; præoccupati, plus rationi fidunt, quàm DEI verbo expresso, quando illud ad rationis decempedam minus quadrat. III. Spes temporalis alicujus commodi. Quando nimirum homines vident fore de pane lucrando (ut ajunt) si vel novi quid in doctrina cœlesti tentent, vel vetera revocent deliramenta, vel nova probent, facilè adducuntur, ut vel nova dogmata comminiscantur, vel errores aliorū sive veteres sive recentiores sequantur. IV. Sathanæ incitamentum & operatio, qui potens est in filiis incredulitatis, director tenebrarum Ephes. 2. 2. cap. 6. 12.

13. *Causæ finales hæresium considerantur vel respectu Sathanae* qui excitat & protrudit operarios in messem suam hoc fine. 1. ut turbet Ecclesiam. 2. impediatur cursum Evangelii, adeoque salutem hominum. 3. & gloriam DEI obscuret. *Respectu hominum hæreticorum finis est.* 1. ambitio, qua existimationem & nominis sui gloriam quærunt. 2. vindictæ & nocendi cupiditas, quâ aliis ægrè faciant. 3. utilitas privata. *Respectu DEI finis est.* 1. ut puniat contemptum verbi sui & antegressam impietatem, ut sequentia dicta probant, 2. Thess. 2. 10. Rom. 1. 21. 23. 2. ut probet suos, Deut. 13. 1. Si surrexit in medio tui, &c. quia tentat te DEUS. 1. Cor. 11. 19. oportet sectas in vobis esse, ut qui probati sunt manifesti fiant inter vos. 3. declaratio gloriæ & illustratio potentiae D. quod DEUS in medio hostium suorum (hæreticorum) victoriam Ecclesiæ concedit. Ps. 3. 7. Non timebo millia populi circumdantis me, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi. Ps. 110. 2. Scepterum fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Syon: dominare in medio inimicorum tuorum. v. 8. Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges. 4. ut excitatis hæresibus Ecclesiam suam exercent in pietate & doctrina, sapientia & patientia, quemadmodum notissimum est, hæreticos semper effecisse, ut Ecclesia DEI in pietate & veritate magis proficeret. Quod agnoscit Bellarm. l. 3. de laicis c. 22. Tametsi enim (inquit) hæretici videntur Ecclesiæ nocere, tamen revera non nocent, sed eam exercent & in sapientia ac patientia proficere faciunt.

14. Hæreticum porrò ab hæresi denominatum sic describimus: Hæreticus est homo ejusmodi, qui errorem sive unum sive multiplicem, quo orthodoxæ fidei fundamentum sive directè sive indirectè oppugnatur, pertinaciter contra expressum DEI verbum & fidelem orthodoxorum dehortationem defendit, ideoque perversus est & peccat per se damnatus Tit. 3. 11.

15. Illam esse veram descriptionem hæretici probamus tribus argumentorum generibus. 1. à definitione S. Scripturæ. 2. à consensu orthodoxorum Patrum. 3. ex hypothefibus & fundamentis doctorum pontificiorum.

16. I. Argumentum igitur est à definitione hæretici, ex Scriptura sumptum. Scriptura enim hæresin & hæreticum passim describit ab illis notis & proprietatibus, quod pugnantia habeat cum expresso Dei verbo; erret & impingat in fundamentum sive articulum fidei: non teneat sanam formam verborum: sed novam tradat & exitialem doctrinam, quæ humano cerebro excogitata, electæ opinioniones sunt, ac viæ salutis, hoc est, ut rectius dicam, superstitiones, fabulæ, cultus electitii, mandata hominum, traditiones humanæ. Confer Matth. 22. 28. Erratis, nescientes Scripturam. 2. Tim. 1. 13. c. 4. 3. tempus erit, quo sanam doctrinam non sustinebunt, à veritate ad fabulas convertentur, non venient ad agnitionem veritatis, vide totum cap. 3. poster. ad Timotheum: deflexio à bona conscientia & fide sincera ad vaniloquium. 1. Tim. 1. 4. 5. Si quis diversam sequitur doctrinam, & non accedit sanis sermonibus (h. e. verbo DEI expresso) Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, inflatus est, nihil sciens. 1. Tim. 6. 3. ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis & præceptis hominum veritatem averfantium. Tit. 1. 13. non arte compositas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi virtutem & adventum. 2. Pet. 1. 16. juxta præcepta & doctrinas hominum, quæ verbotenus habent speciem sapientiæ per superstitionem ac humilitatem animi & læsionem corporis. Coll. 2. 22. De quibus omnibus Christus Servator noster pronunciat: frustra me colunt mandatis hominum. Matth. 15. 9.

17. II. Argumentum descriptio est hæreticorum secundum Patres. Irenæus l. 3. c. 1. dicit illos esse hæreticos, qui Scripturis non assentiuntur. Et notas hæreticorum his verbis describit cap. 2. Cum ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his veritas inveniri ab his qui nesciunt *Traditionem*, non enim per literas traditam illam esse, sed per vivam vocem. Erubescant hic paululum pontificii regni doctores, si quid virtutis ipsis inest, propriis enim verbis & coloribus describitur tota doctrina Jesuitica papistica & blasphemiam quas pleno ore crepant in sermonibus, scriptis & colloquiis publicis, contra vivum DEI verbum.

18. Eusebius l. 3. c. 28. citat ex Gajo Cerinthum hæreticum prætextu revelationum velut à magno Apostolo acceptarum, portentosa dogmata in Ecclesiam DEI invahere tentasse, hocque contendisse, ut ea, quæ scripta erant, inflecterentur ad suas revelationes & traditiones.

19. Tertull. de præscript. hæres. ista hæresis non recipit quasdam Scripturas, & si quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si recipit, non recipit integras.

20. D. August. l. 7. de Genes. ad lit. cap. 9. Non ob aliud sunt hæretici, nisi quod Scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter afferunt. lib. unico de utilit. credenti. cap. 1. Hæreticus est, ut mea refert opinio, qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusque sui gratia falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur.

Quam August. definitionem probat jus Can. caus. 24. c. 28. hæreticus.

In præfat. l. de hæres. ad quod vult **D E U M**, ait : **N**on
omnis error hæresis est. Quid autem faciat hæreticum,
regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego exi-
stimo, aut omnino non potest, aut difficillimè potest.

21. Vt argumentum hoc concludamus, regula hæc
observetur, quod *Nusquam à quoquam Patrum, neq; Conci-
lio Oecumenico dictus est hæreticus, qui literam & sensum Scri-
pturæ sequitur: sed contra qui ab illis deficit, traditiones & do-
gmata Scripturæ contraria tenet.*

22. III. Videamus hypotheses Pontificiorum. Jus
Canonicum. c. 24. q. 3. c. 27. hæresis. Probat illud Hieron.
in Epist. ad Gal. c. 5. quicumque aliter Scripturam intelli-
git, quam sensus Sp. S. flagitat, quo scripta est, licet de Ec-
clesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

23. Idem sentit Thomas 22æ. q. 11. art. 2. resp. ad arg. 2.
ille dicitur aliter exponere S. Scripturam quàm Sp. S. effla-
gitat, qui ad hoc expositionem S. Scripturæ retorquet,
quod contrariatur ei, quod est per Sp. S. revelatum.

24. Bell. l. 3. de Rom. Pont. demonstrat ex Cypriano
causam hæreseon his verbis: divisio & hæresis eò fit, dum
ad veritatis originem non reditur, neque caput quæritur,
nec magistri cœlestis doctrina servatur.

25. Costerus in præfat. Enchirid. hæreticos à suis
proprietatibus ita depingit. f. 4. & 12. quod gloriam Chri-
sti penitus obscurare atque obruere moliantur: & quod in
Sacramenta sint injuri.

26. Ex dictis, talis exurgit demonstratio:

Qui Scripturam nesciunt; non tenent sanam verbo-
rum formam: sed discedunt à sanis sermonibus **D E I**:
Scripturam accusant obscuritatis & imperfectionis, quasi
ex illa veritas non possit inveniri sine traditionibus; adeo-
que attendunt fabulis traditionum & præceptis homi-
num, quæ habent speciem sapientiæ & secundum eas
Scripturam interpretantur: verbo **D E I** addunt & detra-
hant:

hant: errant in fide: gloriam DEI obscurant: in Sacramenta sunt injurii: temporalis commodi causa novas opiniones gignunt aut sequuntur: illi sine dubio sunt hæretici. Lutherani dicti tales non sunt. Ergò neque sunt hæretici. Propositio constat ex jam allegatis. Assumptio manifesta est, & patet ex quærelis Papisticis, quod à sanis sermonibus verbi DEI ad fabulas & traditiones nos abduci non patimur, sed SS. Scripturæ authoritatem, perspicuitatem & perfectionem contra excæcatos & insensatos Jesuitas asserimus constantissimè: neque S. Scripturam ad traditiones, sed traditiones, ad Scripturas exigimus & probamus: traditiones quæ verbo DEI non contrariæ sunt, suo loco admittimus, & DEI verbo expresso postponimus: quæ autem verbo DEI repugnant, procul abesse jubemus, eliminamus: gloriam Christi contra blasphemos Jesuitas vindicamus (non confidentes in meritis operum nostrorum, sed in sola cruce Christi gloriantes) Sacramentorum integritatem contra pontificios Doctores asserimus, qui benedictum calicem ex institutione Christi Testamentaria nefario sacrilegio auferunt: Neque tandem ullius temporalis commodi gratia, gloriæ, Principatus, Episcopatus, Archiepiscopatus, Cardinalatus, aut triplicis coronæ, hoc est, regnorum mundi cupiditate & honore à veritate Evangelica, per DEI gratiam agnita, nos dimoveri aut seduci sinimus, neque per DEI gratiam unquam facturi sumus.

27. Hinc stat Conclusio immota. Ergò Evangelici Lutherani minimè gentium sunt hæretici. Contrà verò Jesuitas & scriptores Pontificios, qui hæreses jam dictas pleno ore crepant, hæreticos esse liquidissimum est. Definitiones enim hæreticorum allatas ita in homines illos quadrare omnes pii vident, ac si digito in illos intenso dictum esset. *Hi sunt.* Quare & definitum illis competere certum est: hæreticos sc. esse.

28. Pro hujus conclusionis evidentiori demonstra-
tione hanc addo ἀπόδειξις: Qui sunt verè Catholici, illi non
sunt hæretici. Atqui Lutherani sunt verè Catholici.
Ergò Lutherani non sunt hæretici.

Propositionis veritas patet per se ex oppositione Ca-
tholici & hæretici. Assumptio clara est ex veri Catholici
descriptione, ejusdemq; ad Lutheranos accommodatio-
ne. Dicitur autem Catholicam à Catholica doctrina extra
controversiam est. Sic enim Bell. de Eccles. mil. l. 3. c. 10.
scribit: Catholicus est, qui fidem profitetur Catholicam.
Status igitur controversiæ internus & Pōtificios est: quæ-
nam sit Catholica illa doctrina, ex qua Catholicus de-
nominationem habeat? Jesuitæ nobis persuadere volunt,
eum esse Catholicum, qui Rom. Ecclesiæ & Pontificis de-
creta & placita sequitur: Nos verò ex Scriptura edocti, eū
dicimus Catholicum i. generaliter, qui doctrinam Pro-
phetarum & Apostolorum h. e. Scripturam canonicam
unanimes consensu à vera Ecclesia semper & ubique ap-
probatam, de vera DEI cognitione & salute consequen-
da profitetur, ei que assensum præbet, quemadmodum
Apostolus τὸ Catholicum describit Act. 10. 43. Adeoque
omnem illam doctrinam Catholicam vocamus, quæ pro-
fundamento habet Scripturam Catholicam Prophetarum
& Apostolorum.

29. Ita Vincentius Lyrinensis in commonitorio tra-
dit illud esse Catholicum, quod semper, quod ubique &
ab omnibus observatum fuit. Quod non absolutè intel-
ligendum, sed ad Verbum Dei limitandum esse per se pa-
tet, quia sic non minùs Gentilismus, Epicureismus, Ju-
daismus, Turcismus commendandus foret, quod semper
& ubique suos cultores inveniat. Ita enim Lyrinensis se-
ipsum explicat: Ille est verus & germanus Catholicus, qui
veritatem DEI diligit, DEI religioni ac Catholicæ fidei ni-
hil præponit: non hominis auctoritatem, non ingenium,
non eloquentiam, non philosophiam.

30. Eusebius l. 3. cap. 3. & 25. scripta Catholica vocat Scripturam S. quam cum in 3. ordines distribuisset, illi præcipuè parti hoc elogium concedit, quam constat omnium Ecclesiarum confessione esse canonicam & indubiam.

31. Deinde specialiter Catholicus dictus est in primitiva Ecclesia, qui veram de persona Christi doctrinam, professus est contra Arium, juxta declarationem Imp. Justinian. leg. cunctos popul. codic. de sum. Trinit. & fide Cathol.

32. Accedunt hypotheses Pontificiorum, quibus Catholicum Christianum describunt, quod Baptismatis Sacramento initiatus, & Christi doctrinam salutarem in Ecclesia profitetur. Vide Canis. in Catechismo. Summam autem ejus doctrinæ ibi proponit, quod sit Symbolum Apostolorum.

33. Bell. in declarat. doct. Christ. cap. 1. ostensurus doctrinam, per quam homo salvari debeat: proponit eam quam nos Jesus Christus docuit, quæ veram salutis viam contineat.

34. Gregorius de Valentia in Analys. fid. Cathol. part. 5. f. 100. veritatem fidei commendaturus, quæ absolute, simpliciter & ab omnibus hominibus ad salutem agnoscendam & credendam est necessaria, summam ejus in Symbolo Apostolorum descriptam esse agnoscit.

35. Costerus in præfatione de moribus hæretic. fol. 7. proprietatem hominis Catholici describit, qui ut filius sponsæ in Christi sponsi gloriam omnes conatus & studia confert.

36. Ex jam dictis hanc extruimus propositionē: Qui baptismo Christi initiati sunt. 2. salutarem Christi & Apostolorum doctrinā sincerè. 3. Maximè Symbolum Aposto-

lorum amplectuntur. 4. Et omne studium conferunt in vindicanda Christi gloria: illi sunt boni & veri Catholici Christiani. Assumo ego jam. Evangelici, aliàs à Pontificiis Lutherani dicti. 1. Baptismo Christi initiati sunt. 2. Salutarem Christi, Prophetarum & Apostolorum doctrinam sincerè. 3. Maximè Symbolum Apostolorum amplectuntur. 4. Omne præterea studium in vindicanda Christi unici Mediatoris gloria conferunt. Ergò Evangelici à Pontificiis Lutherani dicti (*rumpantur Jesuitæ*) sunt boni & veri Catholici Christiani, & per consequens minimè hæretici.

37. Propositio tota sumpta est ex Scriptura, Patribus & ipsis Jesuitarum scriptis, ut supra. Assumptio negari non potest. 1. Enim nos baptismo Christi initatos esse constat, & ipsi Jesuitæ ratum habent nostrum baptismum, quia neminem à nostris baptizatum rebaptizant. 2. Doctrinam Christi, Prophetarum & Apostolorum nos mordicè tenere, caput & causa est totius controversiæ inter nos & Pontificios. Imò in hoc probris afficimur, quod solo DEI verbo scripti nitimur, traditionibus verò cum verbo pugnantibus non fidimus, h. e. ut cum illis loquamur, traditiones pari pietatis affectu cum verbo DEI non recipimus.

38. Unicum hujus rei testem affero Costerum Jesuitam, qui in præfat. Enchiridii sui de moribus hæreticorū sic scribit, *f. 22.* Nostri temporis hæretici (Lutheranos præcipuè intelligit) adeò ad solas Scripturas tanquam ad saxum adhærescunt, ut se non Catholicos, sed ab Evangelio Evangelicos vocari velint. Quod testimonium Costeri nos grato animo acceptamus. Sed neque tantum verba Scripturæ retinemus, verum etiam mentem & sensum Sp. Sancti, adeò ut ex Scripturis nos hætenus erroris convincere non potuerint: sed ex traditionibus Rom. Ecclesiæ nos ab illis dissentire probaverint. Et hoc est, quod quidam ex illis scribunt, hæreticos *ex doctrina Romane Ecclesiæ* convinci posse.

39. 3. Symbolum Apostolorum nos amplecti, vulgò notum est.

40. 4. Nos omne studium conferre in asserenda Christi sponsi nostri gloria, testantur illa præcipuè, quæ hætenus contra Jesuitas & Pontificii regni Doctores de justificatione nostra coràm DEO à nostris scripta sunt, quibus destruuntur & evertuntur ea, quæ isti hypocritæ suis commentitiis meritis & supererogationibus tribuunt, quibus tantum detrahunt, & Christi unici mediatoris merito suffurantur, quantum suis arrogant. Constat ergo conclusio nostra immota: Evangelici Lutherani sunt verè Catholici Christiani.

41. Contrarium autem si quis ex præmissis inferre velit: Jesuitas & Doctores Pontificios non esse verè Catholicos sed Romanos & hæreticos: id cuius patet. Quare accommodatè in eos retorquemus illud D. August. Tractatu 5. in Johan. Quomodo gloriaris te esse Catholicum? nomen habes, factum non habes: quid tibi prodest nomen si res non invenitur?

42. Quæ hætenus allata sunt, Christiano Catholico ad probationem veritatis sufficiunt, quia ex ipso principio doctrinæ Christianæ & Catholicæ deprompta sunt: Verum non ita satisfaciunt Christiano Romano (de Jesuitis loquor, & reliquis errorum Pontificiorum Doctoribus, Patronis, & incrustatoribus, veritatis hostibus: non de reliqua Ecclesia, quam piè & reverenter de verbo DEI, ejusque authoritate sentire novimus, id quod de tota hac tractatione protestari volumus nobis non negotium esse cum omnibus Papistis, sed Papistici regni Doctoribus præcipuè & cæteris qui erroris convicti, non tamen deponunt, sed veritatem impugnare pergunt.) Dupliciter enim hic excipiunt illi. 1. Scripturas esse accipiendas in sensu Ecclesiæ, id est, ut Clerus interpretatur adhibitis suis traditionibus. 2. Se potius servare doctrinam Christi quàm nos.

43. Ad prius respondemus breviter. 1. Valdè iniquum postulatum esse SS. DEI verbum θεόπνευστον subicere arbitrio humano, cum potius traditiones humanæ ad iudicium Sp. S. in Scripturis expressum informandæ sint, quod apud pium quemvis adeò ratum esse confido, ut prolixior probacionem hac de re instituere supervacaneum censeam. 2. Accedit, quòd eiusmodi sint traditiones, quæ licèt nomine Apostolico circumferantur & Ecclesiis obtrudantur, earum tamen ipsos Pontificios Doctores & Jesuitas pudeat, vel privatis scriptis prodere passim vel in publicis Colloquiis enumerando saltem recensere. Videantur acta Colloq. Ratisb. 3. Est hoc Cerinthum & hæreticum agere, Scripturas secundum traditiones exponere, non contrà traditiones secundum Scripturam inflectere.

44. Ad posterius respondeo, falsissimum esse Jesuitas & Papisticos Doctores servare doctrinam Christi. Probo. Catholicus est, qui doctrinam Christi sequitur. Assentimur utrinque: Doctrina verò Christi est, qui in Scripturis continetur. Jam ad examen utriusque partis. 1. Doctrina Christi est; Unus est mediator DEI & hominum, homo Jesus Christus. *1. Tim. 2.* Doctrina Pontificiorum est, non unum sed plures esse mediatores coràm DEO. *Bell. in judic. de lib. concord. mendac. 10.* Nec valet limitatio ipsorum, plures esse mediatores per modum supplicationis, non per modum redemptionis. Nam nos quærimus de intercessore & redemptore, qui vi proprii sui meriti intercedit & redimit, quales redemptores non sunt sancti. Contrarium patet ex veterum monachorum libris.

45. II. Doctrina Christi est: quod filius DEI ab æterna morte nos liberârit: doctrina Pontificiorum est: Mariam nos ab æterna morte liberâsse. Vide Pelbardū, stellario coronæ virginis Mariæ *l. 2. part. 2. art. 1.* *Quis enim sufficiat ei (intellige B. Mariæ) debitas reddere gratias, cum per eam ab æterna*

terna morte liberati sumus: per eam sic nobilitati, sic dignificati sumus super omnem creaturam, ut DEVM fratrem habeamus, cælestes Reges effecti simus, & omnia bona possideamus.

46. Huic stellario accinit simile Encomium, Litaniam B. Virginis Mariæ, ubi omnia illa, quæ DEO patri, Christoq; filio Scriptura tribuit, Pontificii ad B. Mariam referunt.

Litania Papistarum

Litania Spiritus Sancti.

Sancta Maria {
 Quæ totum orbem illuminas
 Quæ tuos fervientes exaltas
 Quæ pro peccatoribus supplicas
 Illuminatrix cordium
 Fons misericordiæ
 Flumen sapientiæ
 Splendor sanctæ Ecclesiæ

{
 Ioh. 1. 9. Christus lux vera, omnem hominem illuminans.
 Ps. 113. 5. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat & humilia, &c.
 Rom. 8. 14. Christus ad dextram patris interpellat pro nobis.
 Ephes. 1. 18. c. 5. 14. DEVS illuminat oculos mentis.
 Ioh. 1. 16. De plenitudine Christi omnes accepimus, gratiam pro gratia.
 Iacob. 1. 5. Quod si cui deest sapientia, postulet à DEO.
 Eccl. 60. 3. Et ambulabunt reges in splendore ortus ejus.

Libera nos Domina {
 Ab omni malo
 Ab omni mala tentatione
 Ab ira DEI & indignatione
 A periclitatione & desperatione

{
 Matth. 6. 13. Pater cælestis libera nos à malo.
 Ibid. Ne inducas nos in tentationem.
 Rom. 5. 9. 1. Thess. 1. 10. Christus nos liberat ab ira DEI.
 2. Cor. 1. 10. Ioh. 4. 14. Matth. 6. 13.

His adde, propter bonum rithmum:

Virtutum cœli Regina
 Domus DEI cypressina
 Fenestra Cœli cristallina
 Perpetua lucis aurora
 Virgo pulchra & decora

Melodia dulcis & sonora
Deliciarum D E I dapifera
Cœlestis curiæ pincerna
Placidum Deitatis umbraculum
Paradisi P O R T A pervia
V E R A S A L U S E T B E A T I T U D O .

Adde communes errores, communes preces Ecclesiæ
Rom. quas populus in publicis processionibus fundit hoc
modo:

Unser Liebe Fraw / die helff vns wider heym /
Wir haben sie gesucht allesampt gemein /
Wir haben sie gesucht in ihrem Gotteshaus /
Die verzey vns unsere Sünd so gehn wir ledig auß.
Kyrielson.

Verzeyh vns unsere Sündt vnd Missethat /
Gott behüte die H. Früchte die auff dem Felde stah /
Gott behüte die H. Früchte dz Korn vñ auch den Wein /
Maria Gottes Mutter / die woll vns Gnädig seyn.

Huc refer Cabalisticam expositionem nominis **MARIA**
ex hortulis animæ, quod totam Pontificiam superstitionem
(quo ad invocationem Sanctorum) compendiosè
repræsentat, cum singulis literis singula Encomia tribu-
unt merè divina, ut virgo Maria sit,

Mediatrix, Auxiliatrix, Reparatrix, Illuminatrix, Ad-
vocatrix.

Similes blasphemias si quis legere non abhorreat, vi-
deat Psalterium B. Mariæ.

47. III. Doctrina Christi est, vitam æternam esse
donum D E I per gratiam Domini nostri Jesu Christi,
Rom. 6. 23. doctrina Pontificiorum est, vitam æternam
esse mercedem propriè sic dictam bonorum operum,
Bell. l. 2. de gratia. c. 15.

48. IV. Doctrina Christi est, DEUM unum esse in-
vocan-

vocandum creatorem, non creaturam, *Matth. 4. 10. Deut. 6. 13. c. 10. 10. Ioh. 4. 43. Apoc. 19. 10. c. 22. 9.* Ratio Scripturæ est, quia soli DEO tribuitur idioma omniscientiæ, quo à creaturis discernitur, *Es. 40. 27. c. 42. 9. c. 46. 10.* potest exaudire preces & opitulari, *Pf. 7.* Pontificii docent etiam creaturas invocandas, sanctos, sanctas, & omnia scire, audire & videre, quæ in honorem eorum fiunt, idq; certo modo fieri speculantur, per repræsentans aliquod speculum S S. Trinitatis. Sic enim habet *Sasgerus Minorita de Sanctorum imploratione & suffragiis indag. 7.* Sancti in patria cum Christo regnantes, vident in beatissima Divinitate, tanquam in speculo clarissimo, omnia & necessaria & contingentia perfectissimè repræsentante ea, quæ nobiscum aguntur, illa potissimum, quæ eorum concernunt honorem, quem nostra invocatione illis deferimus, adeoque nostram salutem promovent, *ibidem.* Igitur DEUS benedictus sanctis suis nostras revelat & orationes & invocationes, quas ad eos, ut DEI Opt. Max. amicos effundimus. Nam hoc ad eorum cedit gloriam, quod à nobis ut filii DEI venerantur in terris.

49. Ad quam speculationem Papisticam nos respondemus, esse valdè svave commentum, otio monastico dignum, & magnum quoque momentum apud nos habiturum, si ex Scriptura probabile reddiderint, quod speculantur. Interea nos illi speculo monastico opponimus speculum Apostolicum, ubi ait: *1. Cor. 13. 12.* Cernimus nunc per speculum in ænigmate; tunc à facie ad faciem. Ubi Apost. opponit duplicem cognoscendi modum, unum per speculum, quod fit in hac vita: alterum sine speculo, qui est vitæ coelestis. Deinde pugnat Sanctorum invocatio expressè cum Scriptura, *Es. 63. 16.* Tu enim pater noster es, Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos, dicit Propheta.

50. Excipiunt Pontificii ad locum, *Es. 63.* Id de statu

Vet. Test. verum esse, quod Sancti nos ignorent, quoniam tùm nondum in vita æterna, sed in limbo Patrum constituti: jam autem post resurrectionem Christi in coelum translati, fruentes aspectu Dei, in eum tanquam speculum intuendo, omnia videant, quæ cum mortalibus aguntur.

51. Resp. 1. est petitio principii, quia ex Scriptura prius limbus Patrum stabiliri debet, quod cùm non fit, meritò rejicimus hoc commentum. Quæ enim de limbo illi declamitant, nihil est nisi elumbe effugium, figmentum humanum, tandiu explodendum, usque dum ex Scriptura nobis ejus rei fidem faciant. 2. Huic somnio opponimus doctrinam Christi: qui audit verbum Christi, & credit ei, qui misit Christum, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam, *Joh. 5. 24.* ideoque non est in limbo. Atqui omnes fideles V. Test. audiverunt verbum Christi, & crediderunt in eum. Ergo etiam fideles V. Test. vitam æternam habuerunt, non limbum. Si enim nos non habemus limbum, neque illi habuerunt, ratio est, quia salvamur, quemadmodum & illi. *Joh. 8. 56. Act. 15. 11.*

52. Ex allatis exemplis, quorum plurima alia afferri possunt, evidentissimè probatur, aliam esse doctrinam Christi, aliam Jesuitarum & Monachorum. Et sic aliter sonare Scripturam per se, aliter in sensu Ecclesiæ Romanæ.

53. Ex illis, quæ hætenus dicta sunt, patet; non omnes eos esse hæreticos, qui esse dicuntur: aliud esse dicere, aliud probare. Si enim illi statim hæretici essent, qui dicuntur, omnes simul essent, & nulli usquam darentur Christiani, orthodoxi, Catholici, quia semper alii exurgunt, qui titulos illos sibi arrogando, aliis, quantum in se est, derogant. Neque illi erunt etiam hæretici, qui ex doctrina hujus vel illius Ecclesiæ esse probantur: sed qui ex

Scriptura esse convincuntur. Quod enim Papistæ hic subterfugiunt, suam Ecclesiam errare non posse in definiendo, id sexcenties confutatum & explosum est.

54. Et vetus est consuetudo, ex historia Ecclesiastica notissima, illos accusare hæreses, quos erroris convincere & argumentis firmis & solidis refutare non possis. Exempla vide apud Socrat. l. i. c. 24. Sic Donatistæ aliquando damnârunt Ecclesiam Catholicam: suam hæreticam, vocantes Catholicam. Ita Arius orthodoxos vocat hæreticos homousianos, se & suos Catholicos. Idem planè faciunt Jesuitæ, qui artem hanc, tanquam antiquitatis studiosi sibi habent commendatissimam: quos Scripturis convincere non possunt, illis hæreses nomen tanquam Ajacis clypeum objiciunt: eos damnant & Anathemate percutiunt. Quo solo medio compendiosè solvere & solidè refutare sibi persuadent, quæ nulla ratione, nullaque vi argumentorum possunt. Quare nihil frequentius in ore habent, quàm quod clamant: Lutherani sunt hæretici, hæretici, execrandi hæretici. Ut hac sola hæretici appellatione turbam moveant, à nostra & Scripturæ sententia revocent, ad exemplum suorum antecessorum, *Ioh. 7. 47.* Num & vos seducti estis? Num quis ex Principibus credit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba quæ non novit legem, execrabilis est.

55. Quemadmodum eadem ratione non sequitur: Eos qui sibi magnificos & splendidos pietatis, sanctitatis & scientiæ titulos arrogant, ideò semper tales esse, quod patet exemplo Pharisæorum, Jesuitarum antecessorum, qui ideò se Pharisæos appellârunt ex Hebr. derivatione, quod legis veri Doctores & Interpretes essent, cum tamen corruptores legis existerent. Idem sanctitatis nomine ab omnibus aliis commendati sunt, sed Christus hypocrisin eorum in lucem protraxit.

56. Eodem modo Jesuitæ nostri, postquam diversum sentientes hæreticos proclamârunt, sanctissimo Servatoris nostri Domini JESU titulo nominari gestiunt, quasi regulam tradant, & viam perveniendi ad Jesum, atque sic nomine saltem omnibus parasangis, regni Pontificii monachis, canonicis, & regularibus, se commendatiores redderent, cum per ἀντίφρασην JESU VITÆ seu Jesu fugæ dicendi essent, quoniam homines à Christo & ejus solo merito ad satisfactiones humanas, commentitia, seu hypocritica supererogationis opera ducunt, ad creaturas, imagines, sanctos & quosvis alios rapiunt, quàm ad Jesum. Accedit, quod sui nominis & ordinis obliti, inter seipso ordinem novum B. Mariæ virgini sacrum instituunt, quo etiam juventutem trahunt, ad dandum nomen suum B. Virgini (ut illi loquuntur) quod aliàs Christianos in S. Baptismo, Christo dare, pietas dicere jubet. Cui novo ordini multum tribuunt, referente Costero *in præfat. Enchir.* ad sodales hujus novi ordinis. Cum Christo Jesu potius hunc honorem deferre deberent, cujus nomen suo ordini tanquam proprium Symbolum vendicant, quò ab aliis ordinibus distinguantur. Si vitam & mores Jesuitarum videas, simillimi sunt suis majoribus Pharisæis, qui vestitu ovium incedunt, vitæ innocentiam præ se ferunt, a deo speciosè, ut quis ipsam pietatem & humanitatem sub longa hac veste & cornuto pileolo latere existimet, cum intus sint lupi rapacissimi, nil nisi cædem & sanguinem spirant, quod suo loco probabimus evidenrer: ut meritò dixeris:

Hos se vae progenere fera.

57. Proinde, ut tandem i. quæstionem concludamus ex fundamentis antea dictis, non ideò Lutherani erunt hæretici, quod ab Ecclesia neo-Romana dissentiunt (hoc est, ut Pontificii hæreticum describunt) in quævis placita & decreta Rom. pontificis non jurant, Sancto-
rum,

rum, eorumque imaginum, idolorum & reliquiarum cultum non approbant, missam pontificiam detestantur, Scripturam debita religione tractant, scrutantur eam pro norma controversiarum habent unica, cibum capiunt & carnes edunt, quovis tempore cum gratiarum actione: non ad pedes abjecti adorant numen illud pontificale: non pro capitæ Ecclesiæ æstimant. Et si quæ sunt similia alia. Sed potius veri erunt Catholici, veræ Ecclesiæ membra optimo jure se vocantes: falsò autem & per calumniam hæresis crimen à Jesuitis & reliquis regni pontificii Doctoribus ipsis imputatur, non probatur aut demonstratur. *Contrà* ipsi sunt hæretici, qui Lutheranos hæreticos esse vociferantur.

Q U Æ S T I O I I.

Quomodo in hæreticos sit animadvertendum?

58. In hac quæstione enucleanda hac methodo progrediemur, ut 1. *Statum controversiæ rectè ponamus & explicemus.* 2. *Inquiramus, cui competat jus hoc animadvertendi in hæreticos.* 3. *Argumenta nostræ sententiæ afferamus.* 4. *Exceptiones Pontificiorum ad nostra argumenta videamus.* 5. *Objectiones adversariorum & responsiones ad illas afferamus.* 6. *Qui sint veri modi coercendi hæreticos & extirpandi, doceamus.*

59. *Primum*, quod statum præsentis controversiæ concernit, non quæritur, an hæretici, præcipuè illi, qui hæreses spargunt, & alios seducunt, sint puniendi vel coercendi? Hoc enim in confesso est utrinque; nõ concedendam ejusmodi hominibus impunitatem, sed omninò in illos animadvertendum esse. 2. Non quæritur, an illi in specie hæretici sint puniendi, qui sunt aut facinorosi aut sedi-

tiosi, & vel turbas movent contra magistratum, vel inter populum motus & schismata excitant, unde pax publica & civilis violatur? Hos enim iusto supplicio dignos esse fatemur. Hoc autem in quaestione versatur, qua poena afficiendi sint hæretici, ut hæretici, sive quis modus in puniendo esse debeat? Hic simpliciter adversarii, capitibus, ultimi supplicii modum præscribunt, & rigidè observant: Nos contra distinctè respondemus.

60. 1. Discrimen ponimus in puniendis hæreticis, ratione temporis. 2. Ratione personarum. 3. Ratione doctrinae sive errorum. Distinguimus igitur *primum inter tempus V. & N. Testamenti*. Ibi licitum fuisse propter mandatum DEI capitaliter hæreticos punire, agnoscimus: hic verò in N. Test. non itidem, quia Christus & Apostoli reclamant, & alia media præscribunt agendi cum hæreticis, de quibus suo loco. 2. *Ratione personarum* discrimen observandum dicimus in definienda poena, aliter enim natura dicitur, puniendum esse illum, qui hæresis author est, aliter illum, cui seductorem persuasus sequitur. 3. *Discrimen quoque tenendum est ratione doctrinae & errorum*, qui ut sunt graviores vel leviores, ita etiam poenam merentur, ne poena sit major delicto. Quo discrimine non observato, graviter peccare statuimus.

61. *Breviter*: Si quaestio de nostro tempore sit: an hæretici sint morte mulcandi? Affirmant adversarii: nos negamus, & mitiori poena afficiendos esse statuimus. Hinc nascitur status controversiæ.

62. *Exposito sic statu*, videamus nunc adversarium. Atque nostro quidem tempore duplex præcipuè offertur. Alter qui decreta Papæ sequitur: alter qui placita Calvinii probat. Uterque disjunctis capitibus, sed conjunctis caudis agrum Domini incendio depopulatur, leges scribit, argumenta suggerit & arma subministrat, quibus è medio tollat eos, qui in causa religionis à se dissentiant.

63. Calvinianorum hanc sententiam esse: quòd hæretici sint gladio puniendi, constat ex multis eorum scriptis, Calvinii, Bollingeri, Bezæ, Zanchii. Hic tomo 2. Miscell. loco de magistratu apertè sic scribit: *Omnes ferè ex nostratibus (sc. Calvinianis) hujus sunt sententia, quòd hæretici sint gladio puniendi.*

64. Horum tamen argumenta examinare & refutare nobis non placet. Sunt enim fanatici & sibiipsis non constant. Vbi fortuna est adversa, ut à potentioribus ad supplicia rapiantur, coràm DEO & mundo conqueruntur sibi fieri injuriam: conscientiam cui libet debere esse liberam: summam & Antichristianam Tyrannidem esse vincula conscientis injicere, hominesque morti tradere, ut constat ex quærelis Ecclesiarum Subaudicarum, Belgicarum & aliarum. Contrà ubi facilior spirat aura: ubi clavum imperii tenent, in illas tyrannicas voces prorumpunt: hæreticos esse occidendos, ut ex allegatis authoribus propria confessione patet.

65. Tantùm illud hic monere volumus Calvinianos Doctores, videant probè, si non in eo censu Prophetarum habendi, de quibus Christus ait, *Matth. 7. 16.* Ex fructibus illorum cognoscetis eos. Tum ipsos etiam hoc præmonere volumus, ne peregrinum ducant, si quid similiter à suis adversariis experiantur, quibus illi arma in manus tradunt, hanc propositionem concedendo: *Hæretici sunt occidendi.* Quam Pontificii utiliter acceptant, & assumunt: Vos Calviniani estis hæretici, quia negatis contrà expressum DEI verbum præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Coena. Vnde conclamatum est: *ad furcam, ad ignem vos Calviniani.* Neque enim solidè quicquam habent, quod excipiant hic Calviniani contra istam tyrannidem, cum ejusdè sint cū illis sententiæ de puniendis hæreticis. Quare non immeritò Costerus Jesuita objicit Gomerò Calvin.

Lugdu.

Lugduno Batano, quod frustra conqueratur de tyranni-
de Pontificiorum in Calvinianos, cum tamen ipsi cense-
ant, Pontificios esse occidendos, quorum non paucos in
Anglia occiderint religionis causa, *Coster. contra Gomar.*
Apol. par. 3. fol. 548. Et sic ars illudatur arte.

66. Conferimus nos igitur ad alteram partem, Pon-
tificios scil. horum sententia perpetua est; sed barbara
& immanis illa, Esauitica, sanguinaria: *Hæreticum homi-
nem occide, ure, seca, tolle, crucifige.*

67. Hoc enim non tantum volunt tot annorum
consilia malè cocta, cruda consilia: quæ inter sese priva-
tim tractant Esauitæ sanguisugæ: consilia dico, sanguine
concepta sanguine scripta, & tanquam impurus partus
sanguine edita & commaculata.

68. Verùm consilia illa secretissima eventus quo-
que probat, idque dupliciter: vel palàm conceptus illos
suos sanguinarios in lucem proferendo, quod scriptis suis
facere non veretur, audax hominum genus: vel quod o-
mnem humanam audaciam superat, consilia illa execu-
tioni mandando, hoc est, crudeliter persequendo, affligen-
do, trucidando, & pedibus conculcando sanguinem hu-
manum, sanguinem Christianum, sanguinem pretiosissi-
mo Filii DEI sanguine redemptum!

69. Prius docent scripta Papistica, Esauitica, ex qui-
bus hos colligimus flosculos.

Bellarmin. *l. 3. de laicis. c. 21. §. 3.* sic scribit: Nos osten-
demus hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos
posse ac debere ab Ecclesia rejici, & à secularibus po-
testatibus, temporalibus poenis, atque ipsa etiam morte
mulctari.

Thomas *22e. q. 10. art. 8.* sex argumentis probat, hæ-
reticos esse capitali & ultimo supplicio afficiendos.

* Gregorius de Valentia *T. 3. disp. 1. q. 11.* multis argu-
mentis conatur ostendere hæreticos esse trucidandos.

saute — Gre-

Costerus in Apologia adversus Gomarum probare nititur, non ex injusta tyrannide, sed ex justa severitate hæreticos à Pontificiis mortis supplicio condemnari.

Burckhardus author autonomiæ passim Lutheranos & hæreticos non obstante pace religionis quovis modo tollendos esse, Principibus author est. In qua re nisi sedulos se præstiterint Imperator Rom. & quivis magistratus superior; nec Christo, nec officio sibi commisso dignos esse clamitat.

Windeck. *in Prognostico* f. 117. 232. 249. 408. hæreticos uestionibus, sectionibus, bellorum vi & impetu sine mora opprimendos & excindendos esse suadet. Tum exempla adducit Hispanicæ crudelitatis in hæreticos, quæ summo opere commendat, & Christianos Principes exhortatur, ut illorum vestigiis insistant.

Majerhof in Speculo prædicantium consensum omnium Doctorum Pontificiorum allegat, atque instar articuli fidei haberi ait in Romana Ecclesia pronuntiatum illud: hæreticos esse occidendos. fol. 54.

71. Posterius (*Bone Christe*) viva praxis docet & experientia. Exempla cape pauca: In Laniena Parisiensi, multa millia hominum occubuerunt religionis causa, *August. Thuanus in Anno 1572.*

Quantum sanguinis Christiani effusum sit in Belgio certo numero comprehendi non potest, cum solus Dux Albanus infinitam multitudinem hominum sub prætextu religionis trucidaverit, cujus nomine sæpè gloriari solitus est, teste historia.

Quid in novis Insulis à sanguinolentis Esauitis & Hispanis gestum sit, in convertendis gentibus, legatur *Bartholomæus de la Casa*, Episcopus Ecclesiæ Romanæ, inveniet lector & numerum hominum occisorum, & genera pœnarum ineffabilia esse, quibus perierunt.

In Gallia & Belgio *Possevinus Jesuita in Epist. ad Regem Polonia*: solius undecennii spacio (ait) supra quingenta millia hominum interfecta fuerunt religionis causa.

Quid in Hispania & Italia acciderit, facile dici non potest, quàm Hispanicè infinita hominum multitudo tractata, rogo & foco expirârit.

Et hujus quidem Hispanicæ pravitatis usus adeò in hunc diem obtinuit, ut non tantùm in eos dicto modo animadvertant, qui sunt cives & incolæ, sed qui modò hospites sunt, & perlustrandi causa accedunt. Hinc observant nos in peregrinationibus nostris: exploratores hinc inde conducunt, & certiores facti de nostris itineribus, literas Uriæ scribunt: adprehendendum & prodendum offerunt: secundum illud *Pf. 10. 8. Osee 6. 9. Mich. 7. 2.* Hæc sanguinis ut aquæ effusio, Esauitis est res levis & exigua. Sic enim habet *Bell. l. 3. de Pontif. Rom. c. 7. §. 3.* Dicunt quidem hæretici, se MAGNAM persecutionem ab Antichristo pati: quia interdum comburuntur AL. QUI, de ipsorum numero, &c.

71. II. Membrum hujus quæstionis est, ut inquiremus, penes quem hoc jus sit puniendi hæreticos? Hic instamus contra Anabaptistarum furorem, qui ut magistratum ex humanis sublatum volunt: ita neque auctoritatem in hæreticos animadvertendi concedunt: sed liberum cuivis & credendi & propagandi dogmata faciunt. Contrà nos pro majestate magistratus asserimus, officium esse ejus & cognoscendi causam hæreticorum, & legitima cognitione habita in eosdem animadvertendi, quia custos est utriusque tabulæ Decalog. *Rom. 13.*

72. Deinde id ipsum asserimus contrà Esauitas & Pōtificii regni Parastatas, qui jus omne cognoscendi causas hæreticorum ad se violenter rapere conantur, sibi que omne judicium & regimen Ecclesiæ absolutè traditum volunt, ut liberum illis sit oves suas vel tondere vel deglubere: vel

re: vel pascere vel mactare, pro ut libuerit & spiritus distaverit. Pro qua absoluta auctoritate asserenda, asserunt multa passim & disputant de potestate Ecclesiastica, quam nimiam sibi tribuunt, de qua nobis hic sermo non est.

73. Absolutam hanc & lupinam Tyrannidem in oves si obtinere non possunt, egregiè suo officio se fungi arbitrantur, si seculari magistratui tales tradant & prodant, illumque ad sanguinem fundendum exhortentur. Qua in re præclarè imitantur suos antecessores, Judam & Pharisæos, dicentes: Nobis non licet interficere quenquam. Quod D. Hussus suis proditoribus & traditoribus Concilii Constantiensis Patribus *Sess. 15. art. 14.* rectissimè objicit. De quibus Christus ait ad Pilatum: Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.

74. Pertinere autem hanc hæreticorum causam ad magistratum politicum non tantum quoad executionem, sed etiam ipsum judicium & cognitionem hæreseon asserimus. Hac tamen observata distinctione, ut legitima & sufficiens de hæresi præmittatur inquisitio, adhibitis Ecclesiasticis personis: ita tamen, ut potior ratio habeatur ordinis politici, cujus officium est judicare de sanguine, idololatriam avertere, sinceram doctrinam propagare, ministros Ecclesiæ dare, atque ita Nutritium Ecclesiæ se præbere.

75. Officium hoc esse magistratus politici, i. probamus testimoniis Scripturæ, quæ totius Reipub. gubernationem magistratui commendant, & utriusque tabulæ custodiam præcipiunt, *Deut. 17. 18. Jos. 1. 8.*

76. 2. Probatur hoc ipsum exemplis piorum Regum & magistratum V. Testamenti, quorum studium in vocandis ministris, & constituendo cultu D. à Sp. S. magnoperè commendatur. *2. Reg. 18.* Ezechias dissipavit excelsa, & contrivit status, & succidit succos, & confregit serpentem æneum, *2. Reg. 23. 4.* PRÆCEPIT REX PONTIFICI

ET SACERDOTIBUS, &c. *Paral. 17. 7.* Josaphat MITTIT PONTIFICEM ET SACERDOTES in Judæam docendi populi causâ, *2. Reg. 10. 25.* Jehu delevit Baal, destruxit sacra, &c.

77. Rationibus probatur, quia Pontificiis Ecclesiasticis hanc rem dare, est lupis oves committere, nullus locus est innocentiae, nullus modus avaritiae & rapinae, id quod prudentissimo consilio, Senatus Parisiensis tanquam experientia doctus, ad Regem, ostendit. *Sleid. Anno 1555. lib. 26. f. 846.* Quare non ad Ecclesiasticum, sed politicum magistratum præcipuè pertinet judicium de hæreticis.

78. III. Membri secundæ quæstionis argumenta nostræ sententiæ proponit adversus sanguinarios Jesuitas, quibus demonstramus, non licere capitaliter in hæreticos sævire.

79. Quæ nostra argumenta antequam afferamus, præoccupandum nobis est. I. Non Anabaptistarum causam agere, qui magistratui politico gladium ex manibus excutiunt, quorum opinionem antea improbavimus: contra potius magistratui diligentissimè gladium commendamus, improbis in formidinem & poenam. Sed internum gladium hic sublatum volumus, metum & trepidationem conscientiarum, odia & acerbiter animorum in religionis diversitate.

80. Deinde neque hæreticorum Patroni, hoc est, causæ perditæ procuratores esse volumus & fautores: sed veritatis patrocini tantum suscipimus, & contra intempestivum zelum adversariorum, imò furorem Esauitarum disputamus, & veram S. Scripturæ sententiam propugnamus, hoc est, quid & quantum in hæreticos animadvertendum sit, ex Scripturis probamus.

81. Porro argumenta illa nostra, ut fortius militent, conjunctim unico huic Syllogismo includimus.

Qui

Qui modus animadvertendi in hæreticos. 1. Non fuit à Christo & Apostolis in N. T. probatus, sed potius correctus. 2. Nulla firma & solida ratione, sive ex Scriptura, sive aliunde petita potest stabiliri. 3. Repugnat sententiæ & praxi totius orthodoxæ antiquitatis. 4. Multis eū incommoditatibus iisque gravissimis Reipublic. Christianæ conjunctus est: tyrannidem Antichristo & occidentali & orientali, aliisque hæreticis propriam sapit: repugnat ipsis hypothesebus adversariorum, crudelitatis authorum: Ille non est verus modus, in N. T. adhibendus. Atqui modus ille, quo corporali & capitali supplicio animadvertitur in hæreticos est talis. Ergò, non est verus modus in N. T. adhibendus.

Propositionem conjunctim ita sumptam adversarii in dubium vocare non audebunt (ut spero) nos singula assumptionis membra probabimus.

28. I. Non fuit Esauitica sententia à Christo & Apostolis in N. T. probata. Etsi enim Christus & Apostoli flagrantissimo zelo gloriæ Dei & veritatis coelestis arderent, adeò quidem, ut Christus super Scribas & Phariseos, hæreticos, sæpè illud repeteret: *Vae vobis*, eosque audacter filios gehennæ diceret, *Matth. 23. 13.* Filios Diaboli, *Ioh. 8. 44.* Et D. Paulus optaret *excindi* eos, qui labefactabant Galatas (erant autem hæretici) *Galat. 5. 12.* Et D. Petrus tales appellat perditos & damnatos, *2. Epistol. cap. 2. 1. 3. 12. 17.* tamen nusquam legitur in toto N. T. quod vel Christus vel Apostoli modum illum animadvertendi in hæreticos, qui fit per corporale & capitale supplicium, probârint vel facto suo proprio imitando, multò minus mandando.

83. Contrà: Christus & Apostoli modum illum Judaicè animadvertendi in hæreticos antiquarunt & correxerunt: aliis mitioribus ostensis & propositis mediis & poenis, de quibus suo loco agemus. Nunc tantùm negativè ostendemus ex præceptis & exemplo Christi, mo-

dum illum hæreticos in N. T. occidendi non esse à Christo probatum.

84. Huc referimus i. illud *Matth. 13. 30. Sinite pariter crescere zizania & triticum usq; ad messem, v. 29. ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum.* Hæc de hæreticis præcipuè dicta esse (qui per zizania intelliguntur) & evidentia textus docet, & Patres, tum plærque interpretes, à quibus Papistis dissentire non licet : quorum explicationes mox contra Neotericos, Patres Romanos, Jesuitas & Monachos proferemus.

85. Hinc ita concludo : Si zizaniorum in agro Domini violenta eradicatio fieri non debet : sed conjuncta est cum maximo periculo, sequitur, nec hæreticos ex Ecclesia per mortem esse tollendos. Atqui prius est ex verbis Christi. Ergò & posterius. Ratio connexionis in propositione est, quia per zizania intelliguntur hæretici : quicquid igitur de zizaniis dicitur, id etiam de hæreticis dici debet. Dicitur verò expressè. 1. quòd non sint eradicanda. 2. quòd non possit fieri sine periculo evulsionis boni seminis seu tritici, h. e. interneccione bonorum. Probo ex D. Chrysof. *Homil. 47. in cap. 13. Matth. cujus verba hæc sunt: Quid autem est, quod eradicabitis simul cum zizaniis etiam frumenta? Certè, aut quia si arma capietis, inquit, necesse est, ut cum hæreticos trucidatis, multos Sanctorum simul interire: aut quia ab ipsis zizaniis multa commutata in frumenti conditionem seipsa converterent. Si ergò prævenientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis provenirent.* De his plenius thes. 88. & seqq.

86. II. Argumentum sumitur ex *Luc. 9. 54.* Cum enim Christus hospitium petiisset à Samaritanis, illique jus hospitii inhumaniter recusassent propter religionis disparitatem, discipuli indignabundi Christum ad puniendum sollicitant: Vis (inquiunt) Domine, dicamus, ut ignis de cœlo descendat, & consumat eos, ut & Elias fecit? Quibus
Christus

Christus respondet per correctionem: *Nescitis, cujus Spiritus vos estis?* Filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum, sed ad servandum. Concludo: Si Christus ideò non voluit Samaritanos igne cœlitus revocato perdi à suis discipulis, quia discipuli essent sui filii, qui non venisset ad perdendum, sed ad servandum: sequitur nec à reliquo populo Christi in N. T. hæreticos esse interficiendos. Ratio connexionis est, quia Samaritani & hæretici aberrant à vera religione, eamq; oblatam ingrattè spernunt: Et reliquus populus Christianus, adeoq; ipsi magistratus, sunt filii Christi. Quare quicumque aliter tractant hæreticos, illi manifestè produnt, se non esse filios Christi & Spiritus Evangelici, nec posse discernere inter tempus Eliæ & Christi, hoc est, inter V. & N. Testamentum, nec intelligere regimen Ecclesiæ Christi, quod est per ministerium Evangelii hominum dura corda ad pietatem & pœnitentiam flectere.

87. III. Esauitica sententia nulla firma & solida ratione sive ex Scriptura, sive aliundè petita, potest stabiliri, quod probabimus infrà in refutatione argumentorum adversariorum.

88. IV. Pugnat sanguinariorum doctrina & praxis cum tota antiquitate. 1. Cum orthodoxis Patribus. 2. Conciliorum definitione. 3. Praxi veteris Ecclesiæ, cujus authoritas tanta est apud Papistas, ut non liceat tantillum ab ea recedere.

89. Non esse occidendos hæreticos, 1. docet D. Augustinus, l. 3. cōtrà Crescon. c. 5. *Nullis bonis in Catholica Ecclesia hoc placet, ait, si usq; ad mortem quenquã licet hæreticum se viatur.*

Idem Epist. 127. apud Donatum Proconsulem Africæ intercedit, ut Donatistas (*hæreticos*) coerceat, non occidat, ne in æterni judicii pœnas incidant, *corrige eos cupimus, (ait) non necari; nec disciplinã circa eos negligi volumus: nec supplicis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum pecca-*

peccata compeſce, ut ſint, quos pœniteat peccâſſe. Quæſumus igitur, ut cum Eccleſiæ cauſas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam eſſe cognoveris, poteſtatem occidendi te habere oblivifcaris, & petitionem noſtram non oblivifcaris. Non tibi vile ſit, neq; contemptibile, quòd vos rogamus, ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur. Excepto etiam, quòd à perpetuo propoſito recedere non debemus vincendi in bono malum. Paulò poſt: Etiam occidi ab illis eligemus, quàm eos occidendos veſtris judiciis ingeramus.

Epift. 158. ad Marcellinum: Pœna ſanè (ait) illorum (Donatiſtarum) quamvis de tantis ſcleribus Confefſorum, rogo te, ut præter ſupplicium mortis ſit, & propter conſcientiam noſtram, & propter Catholicam manſuetudinem commendandam.

Epift. 160. ad Apringium judicem: De vobis quidem dixiſſe Apoſtolum legimus, quòd non ſine cauſa gladium geratis, & miniſtri DEI ſitis vindices in eos, qui malè agunt. Sed alia cauſa eſt Provincia, alia Eccleſiæ. Illius terribiliter gerenda eſt adminiſtratio: hujus clementer commendanda eſt manſuetudo.

In Enarrat. Pl. 54. Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur. Vtinam ergò, qui nos modò exercent, convertantur, & nobiſcum exerceantur: tamen quandiu ita ſunt, ut exercent, non eos oderimus: quia in eo quòd malus eſt quis eorum, utrum uſq; in finem perfeveraturus ſit, ignoramus, & plerunq; cum tibi videris odiſſe inimicum, fratrem odiſti, & nescis.

Lib. de fide & operibus. cap. 4. Quidam intuentes Præcepta ſeveritatis (quibus admonemur corripere inquietos, non dare ſanctum canibus, ut Ethnicum habere, Eccleſiæ contemptorem, à compage corporis membrum, quod ſcandalizat, avellere) ita perturbant Eccleſiæ pacem, ut contentur antè tempus ſeparare zizania, atq; hoc errore excæcati, ipſi potius à Chriſti unitate ſeparantur. Haſtenus Auguſtinus.

90. **Tertullianus ad Scapulam Tyrannum:** *Humanis juris & naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere: nec alii obest aut prodest alterius religio: sed nec religionis est cogere religionem, quae spontè suscipi debeat, non vi: cum & hostia ab animo lubenti expostulentur. Ita & si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil prestabitis Diis vestris: ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sunt, contentiosus autem Deus non est.*

Ibid. Potes & officio jurisdictionis tuae fungi & humanitatis meminisse, vel quia & vos sub gladio estis. Neque tamen deficiet haec secta (Christianorum) quam tum magis edificari scias, cum caedi videtur.

91. **Cyprianus l. 3. Epistolar. Epist. 3. ad Maximum, Urbanum, Sidonium & Macarium scribit:** *Apostolus in Epistola sua scribit: in domo autem magna non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quaedam quidem honorata, quaedam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus, laboremus, ut nos aureum vel argenteum simus. Ceterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest major Domino suo servus, neque quisquam sibi, quod soli filio pater tribuit, vindicare potest, ut putet aut ad aream ventilandam & purgandam paleam ferre se jam posse, aut à frumento universa zizania humano iudicio segregare. Superba est ista obstinatio & sacrilega presumptio, quam sibi furor pravus assumit. Et dum dominium sibi semper quidam plus quam mitis iustitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt.*

Ad Demetrianum Tyrannum: *Innoxios, justos, DEO charos, domo privas, patrimonio spoliatis, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio & simplici ac veloci brevitate poenarum: ad moves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia: nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis:*

excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas. Quæ est insatiabilis carnificinæ rabies? Quæ inexplebilis libido sævitia!

Epist. Miscell. ad Fidum de infantibus baptizandis: cum Dominus in Evangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare: quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est.

92. Chrysoſtom. Hom. 47. in Matth. c. 13. de zizaniis, per quæ hæreticos notari ait. *Vide autem (inquit) servorum diligentiam. Nam etsi non prudenter, sedulo tamen ad evellenda zizania festinant, quæ res sollicitudinem ipsorum ac diligentiam erga Sathanam ostendit, quanquam ad unum solummodo respiciant, non ut pœnas inimicus luat, sed ut jacta semina non deperiant. Quare quomodo morbum depellant, inquirunt: nec sibi confidunt, sed Domini sententiam expectant, ac ideò interrogant, dicentes: Vis, abeuntes, colligamus ea? Dominus autem prohibet, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici absq; fœdere pacis, & absq; induciis, bellũ orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit: altera, quia frumentis parum nocerent: altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Paulò post: Si ergò prævenientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis provenirent. Et addit: Non prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verùm prohibet interficere ac trucidare. Quid autem si perseverabunt usq; ad finem zizania? Tunc dicam messoribus (inquit Christus) colligite primùm zizania in fasciculos ad comburendum.*

Idem in serm. quod neque vivi neque mortui Anathemate plectendi: *Hæreticis satisfieri oportebat sermone redarguente errorem, qui incrudescit. Doce, ait, in lenitate erudiens eos, qui obsistunt, si quando det eis DEVS pœnitentiam ad agnoscendam veritatem. Paulò pòst: Is quem tu Anathematizare decrevisti vel vivit vel mortuus est, quod si adhuc superest,*

perest, impiè agis, qui eum, qui à malo in bonum se vertere potest, crudeliter absecas: Sin mortuus est, multò magis crudelis es. Curnam? quia Domino suo stat vel cadit, non jam sub jure humano existens. Et de eo quod occultatum reservatumq̄, seculorum judici pronunciare tutum est solùm ei, qui mensuram scientiæ & quantitatem fidei cognoscit. Concludit tandem: Obsecro desistite ab hoc malo, ecce dico & contestor coram DEO & electis Angelis, hinc vobis in die judicii magnum malum & inextinguibilem ignem parari? Nam si in virginum ordine eos, qui cum fulgida fide & morum honestate vixerunt, Dominus, qui omnium opera considerabit, ob misericordia penuriam à thalamo arcebit: quomodo nos, qui in omni luxu & crudelitate erga cognatos versamur, obliti DEI, salutem assequemur? Eapropter vos oro, ne vobis verba hæc mente excidant: dogmata enim impia & quæ ab hæreticis profecta arguere & Anathematizare oportet, hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.

93. Theophylactus in cap. 13. Matth. Zizania sunt hæreses vel malæ cogitationes. Quis seminat autem hæc? Diabolus. DEUS autem non permittit hæreticos bellis consumi, ne simul patiantur, consumanturq̄ & justi. Similiter neq̄ propter malas cogitationes vult DEVS excindi hominem, ne & triticum simul corrumpatur: ut Exempli gratia. Si Matthæus excisus fuisset ex hac vita, cum esset zizanium, simul utiq̄ excisum fuisset frumentum, quod postea ex ipso oriturum fuerat. Similiter & Paulus (& latro) Hi enim, quum zizania essent, non sunt extirpati, sed permitti sunt vivere, ut cresceret postea illorum virtus. Dicitur igitur Angelis in consumatione, tum congregabitis zizania, h. e. hæreticos.

94. D. Hieronymus in c. 2. Osee. Idcirco homines tribus Juda, nolite desperare decem tribuum salutem, sed eam quotidie & sermone & voto & literis ad pœnitentiam provocate, quia frater vester appellatur & soror. Paulò post: Hoc idem

*nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus, sed provo-
cemus ad pœnitentiam: & illorum salutem germanitatis speremus
affectu.*

*Ibidem de hæreticis ad idola lapsis: Revertentur ad
diem natiuitatis suæ, si non egerint pœnitentiam, Ethnicis com-
parentur.*

95. **Hilarius ad Constantinum Imperatorem:** *Non
decet, non oportet cogi & compelli inuitos & repugnantes. Item:
Permittat lenitas tua populis, ut quos voluerint, quos putave-
rint, quos elegerint, audiam docentes. Et iterum: Sed quid
aliud his literis petunt (pro Athanasio supplicantes) quam
libertatem fidei: & contagionem Ariani nominis deprecantur:
orantq; vincula, carceres, tribunalia, novas etiam in reos
questiones inhiberi. DEVS cognitionem sui potius docuit,
quam exegit: & coactam confitendi se aspernatus est volun-
tatem!*

96. **Lactant. de Instit. l. 5. c. 19. Edit. Antwerp.** *Defenden-
da est religio non occidendo, sed moriendo. cap. 20. Ibid. Non est
opus vi & injuria, quia religio cogi non potest. Verbis po-
tius quàm verberibus res agenda est, ut sit voluntas, &c. Itē.
Si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis?
Jam non defenditur, sed polluitur, sed violatur.*

97. **Ambrosius in 2. Cor. 1.** *Quoniam fides non neces-
sitaris, sed voluntatis res est: ideò dicit, non quod dominemur
fidei vestræ. Dominatus enim necessitatis est.*

98. **Bernhardus Serm. 66. in Cantica:** *Fides suadenda
est, non imponenda.*

99. **Hactenus auctoritate Patrum probavimus,
hæreticos non esse occidendos. Jam II. videamus Con-
cilia.**

**Damnârunt illa inter alios complures, etiam mon-
stra illa hæreticorum, Arium, Nestorium, Eutychen, eosq;
ex Ecclesia DEI excluserunt, postquam convicti argu-
mentis legitimè, ab hæresib. tamen recedere nolent. Ve-
rùm**

rūm non seculari magistratui tradendos censuerunt, neque authores fuerunt Impp. ut ad mortem tales raperent. *Nec ullum Concilium aut Synodus totius antiquitatis produci potest, ubi statuatur, hæreticos occidendos esse.* Nisi quod insanum & sanguinarium illud Concilium Constantiense, Anno 1415. à patre mendacii & homicidii inspiratum & agitatum, veritatis confessores & mendacii expugnatores è medio sublatos voluit. Et quod omnium scelerum scelerius est, contra datam fidem sustulit, atque igne cremavit, constantissimos DEI Martyres Johan. Hussum & Hieron. Pragensem (*quorum sanguis loquitur!*) Quo ipso Spiritu ducti in suis conciliabulis parastatæ ruinosi Papatus unanimiter concludunt, sine reverentia Scripturæ, Ecclesiæ antiquæ, aut sanguinis humani, omnes hæreticos, quantum, quantum fieri possit, esse trucidandos, adeò ut flagitiosè abutantur sancto illo Apostolorum Symbolo, quod illi decisionibus suis præmittere soliti sunt, dicentes: *Placuit Sp. Sancto & nobis.*

100. III. *Praxis Vet. Ecclesiæ* militat ex nostra parte, quæ nec blasphemus illos hæresiarchas, θεομάχης, ad supplicium capitis rapere voluit. Cum enim Concilium Nicænum *Arium* Anathemate percussisset, & ex Ecclesia Alexandria ejecisset: atque multi alii authores Imperatori Constantino Magno fuissent, ut impietatem dogmatis morte expiaret, Christianis. tamen Imperator à sanguine abstinuit, & publico Edicto ad exilium illum condemnavit, *Socrat. l. i. c. 8.*

101. Theodosius & Valentinianus Impp. cum aliquandiu tolerassent furorem *Nestorii*: ipse verò ad frugem redire nollet, tandem in Concilio Ephesino legitime damnatum, in exilium miserunt.

102. Neque hæreticos occidendos esse, concedit Christianorum Impp. iudicium. Vide constitutionem Constant. Magni, *Euseb. hist. Eccles. l. 10. cap. 5.* de libertate

religionis dicentis: *Jam olim quidem considerantes non esse religionis libertatem prohibendam, sed uniuscujusq; animo ac voluntati facultatem tribuendam res . pro suo voto quemlibet curare, & Christianis hareses ac religionis suae fidem custodire jussimas. Paulò post: Et nunc igitur liberè ac firmiter, quisquis hanc voluntatem habet, ut Christianorum voluntatem servet, hoc ipsum sine omni molestia faciat, & rationem affert Imperator: Quia id tranquillitati nostrorum temporum conducere manifestum est.*

103. Constantinus Imp. Arianus ad intercessionem S. Hilarii (ib. 95.) Athanasium Episcopum orthodoxum Alexandrinæ Ecclesiæ restituit, hac conditione, ut Ariani ibidem Ecclesiam etiam tenerent, ipse contra facultatem Christianis dedit, ut in urbe Antiochena liberum haberent religionis suæ exercitium, Theodoret, hist. Eccles. l. 2. c. 12. Sozomen. l. 3. c. 20.

104. Antonius Aurelius Imp. cum aliquandiu iniquior fuisset Christianis, tandem cum fidelitatem eorum in certo periculo cognovisset, publico edicto cavet de eorum libertate quo ad religionem. *Jam authorem (inquit) me interpono, ne cuiquam religio Christiana vertatur crimini. Quod si quis Christianum detulerit, hoc solo nomine, quod Christianus sit, volo, ut delatus se Christianum impunè fateatur, modò nihil ei objiciatur præter religionem diversum: delator verò ejus vivus comburatur. Confessum autem compertumq; Christianum nolo ad mutandam religionem induci à provinciæ Praside, suo relinquendum arbitrio. Et hoc meum decretum Senatusconsulto ratum fieri volo, jubeoq; proponi publicè legendum in Trajani foro, ut inde transmittatur in provincias, cura urbis Prasecti. Euseb. l. 4. c. 13. & c. Osiand. centur. 2. l. 2. c. 6.*

105. Episcopi orientales Ariani, Valentinianum Imperatorem sollicitant ad persequendum eos, qui Nicænum Symbolum retinebant. Quibus indignabundus ille

ille respondit, *iniquè se petere, ut imperatoria sua potestate hoc modo abutatur, Niceph. l. 11. c. 30.*

106. Gratianus Imperator religionibus inter se variantibus in Christianismo *libertatem* dedit, ut quam quisque religionem sequi vellet, sine periculo vitæ eligeret, *Socrat. l. 5. c. 4. Niceph. l. 12. c. 1.*

107. Theodosius Imp. neminem ob religionem persecutus est, nisi unum Euvnomium. Hunc in exilium mitti iussit, aliorum autem neminem afflixit, nec secum communicare coegit, sed singulos suis locis convenire, & quæ Christianismi essent sentire, quemadmodum quisque opinionem de illis concipere poterat, permisit.

108. V. Rationibus nostram sententiam confirmamus. Quis enim istud poenæ genus probabit, quod cum gravissimis Reipub. Christianæ incommoditatibus conjunctum est? Cum poenarum in Reipub. benè constituta is sit finis, ut Reipub. benè sit. Unde Solon agebat: Rempub. duabus rebus contineri præmio & poena. Quæ verò sint incommoda, cum quibus conjunctus est ille puniendi modus (quo hæretici neci traduntur) quæris? Hæc sunt: 1. Isto poenæ genere plurimis hominibus præcluditur via salutis. Multi enim hæretici per conversationem cum fidelibus tandem ad veritatis agnitionem perveniunt, ad quam initiò nullis rationibus permoveri potuissent. Sunt enim 12. horæ diei, *Joh. 11. 9.* & aliquando in ultima hora senectutis homines in vineam Domini transeunt, teste experientia. Quare quantum diu quis spirat, de salute ejus desperandum non est. Sumamus, exempli gratia, Saulem persecutorem, qui si secundum sanguinarios tanquam hæreticus occisus fuisset, nunquam Paulus factus esset. Sic Augustinus longo tempore in Paganismo vixit, qui si propterea trucidandus fuisset, ingens piaculum futurum erat, hoc ipsum
agno-

agnoscentibus Papistis. Nihil enim magis crepant, quàm
authoritatem ejus.

109. II. Sub prætextu inquisitionis in hæreticam
pravitatem multi innocentes tolluntur è medio, sive
ex odio quodam judicum, aut famulorum delata-
torum, aut testium erga reos: sive ex invidia, av-
ritia, aliòve pravo affectu. Cujus rei exempla non de-
sunt. Si enim audiamus Belgium & Galliam, omni-
um confessione constat, (etiam Pontificiorum) quod
quàm plurimos Romanæ Ecclesiæ confessores Tyrannis
illa inquisitionis involuerit, ideoque in corde suo dete-
stantur & execrantur inauditæ illius Tyrannidis, hoc est,
Hispanicæ Inquisitionis authores. Vel enim per suspicio-
nem sinistram tales abrepti sunt, qua hæretici esse puta-
rentur: vel per malitiam. Hoc: vel militis prædæ inhan-
tis culpa, vel aliorum, qui partim privati odii causa tales
sublatos voluerunt, partim ex ære alieno se hoc modo
exolvere gestiverunt. Id quod in publicis quidem Lanie-
nis uno vel altero coronato, crudeli militi in manus dato
effectum dederunt: in reliqua inquisitione falsis testibus,
& multis artibus, ut constat, ad inquisitores traxerunt per
tertium, quartum, ne dolus & ingratitude patefceret. Quò
si semel perventum est, innocentia locus nullus est, teste
experientia. Adeò ut præceptum illud Christi generale
sit & perpetuò verum. Ubicunque evulsio zizaniorum,
id est, hæreticorum (sive verè, sive per calumniam sic di-
ctorum) suscipitur, semper conjunctam esse cum eradica-
tione boni seminis, & propterea curam hanc messi S. An-
gelorum committendam, non impuris & sanguinolentis
hominum manibus.

110. III. Modus iste tyrannicus nefandorum vitio-
rum causa est, ut præcipuè Apostasias à coelesti veritate,
teste historia Ecclesiastica. 2. hypocrisis. Cum enim re-
ligio cogi non possit (dicente Lactantio l. 5. Div. Institut.

Quis imponat mihi necessitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi. Nihil tam voluntarium quàm religio, in qua si animus aversus, jam sublata jam nulla est) nihil agunt aliud, cogendo homines, quàm ut eos faciant *hypocritas*, qui aliud dicant, aliud teneant alta mente repositum!

III. IV. Valdè absurdum est, armis carnalibus religionem velle propagare, iisdem delendo hæreticos, cum
1. arma militiæ Christianæ in negotio propagandæ religionis non debeant esse carnalia, *2. Cor. 10. 4. 2.* quia fides non est ex armis, sed ex auditu verbi, *Rom. 10. 17.* Non igitur dependet ab hominibus sive armis utentibus & vim inferentibus sive patientibus, sed est donum DEI dantis eam per verbum & Sacramenta in corda hominum, *2. Thes. sal. 3. 2. Roman. 10. 17. 1. Cor. 12. 11.*

III. V. Nemo (opinor) est, qui modo Christianus audire cupit, cui probetur id, quod sapit tyrannidem utrique Antichristo orientali (*Turca*) & occidentali (*Papa*) proprium! Christianus enim ut toto pectore detestari debet, quicquid Antichristo proprium est: ita cum piis eos abominari oportet tyrannidem, & concordiaë pacique studere, *Es. 2. 4. c. 11. 9. Luc. 9. 54.*

III. Dubitas autem, an modus propagandi religionem per arma corporalia sapiat tyrannidem Antichristianam? Imò nota est Antichristi magni. Confer *Dan. 7. 25.* Sanctos altissimi conteret, *c. 11. 33.* ruent in gladio & in flamma, & in captivitate & in rapina multos dies. *v. 44.* & interficiet plurimos, *Apoc. 11. 7.* Bestia faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & *c. c. 13. 15.* faciet, ut qui non adoraverint imaginem bestiaë occidantur, *c. 17. 6.* Et vidi mulierem (Antichristum) ebriam de sanguine Sanctorum & de sanguine Martyrum Jesu. Hinc factum est, ut Antichristus diceretur *שׂוֹנֵה דָּם* id est, perditio, quod vocabulum legimus, *Proverb. 15. 11.* Hinc

ἄγιος τῆς ἀπολείας, filius perditionis, ob hanc quoque cau-
sam dicitur, 2. *Thessal.* 2. 3. Quare non magis Pa-
pa Romanus se Antichristum probabit: nec Esauitæ,
quòd satellites Antichristi, nisi hac barbara imma-
nitate se strenuos præbeant. Et constat ex historiis,
Turcismum esse doctrinam, stabilire tyrannide, propa-
gare vi & armis religionem. Notissimum enim est,
nulla alia arte ad fastigium perfidi sui imperii Maho-
metem & Sultanorum pervenisse, quàm quòd rigidis-
simè in religione à se dissentientes tractârit, atque sic
vi & metu regnum dilatârit & conservârit. Quod, dum
sequuntur Papistæ exemplum, ipso facto ostendunt, se
non abhorrere ab illa barbarie Turcica, sed conjun-
ctis viribus & bello quasi sociali cum Antichristo ori-
entali Ecclesiam DEI invadere & diripere tanquam
ex composito. Imò hic modus propagandi doctri-
nam, arridet Pontificiis, de eoque gloriantur. Vide
Bellarmin. de notis Ecclesiast. cap. 7. ubi illud Prosperii
probat:

*Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.*

114. VI. Accedit, quòd & hæreticorum propri-
um est, per violentiam religionem suam propagare. Af-
fer huc praxin veter. Ecclesiæ. In Arianismo propagan-
do eò usque sævitum est, ut Ecclesia DEI planè extin-
cta esse credebatur, teste historia. *Eudoxius* Arianus
Imperatorem Valentem Arianum juramento astrin-
xit ad defensionem Arianæ dogmatis, & extirpationem
diversè sentientium per gladium, & quævis tor-
menta exquisitissima. 2. Nota est vox hæretica *Nesto-*

vii: *Da mihi Imperator terram ab hæreticis liberam, & ego tibi dabo cælum!* 3. Donatista & circumcelliones crudelissimè orthodoxos tractârunt, teste historia. 4. Dioscorus cùm defensionem Eutycheismi suscepisset, orthodoxos Episcopos, stipatis militibus subscribere coegit, &c. Unde *jus Canonic. cap. 23. quæst. 4. can. 13. dicit, nunquam spiritualis carnalem persequitur: sed carnalis spiritualem.*

115. VII. Ex ipsis hypothefibus & fundamentis Papisticis, Jesuiticis probari potest, hæreticos non esse occidendos. I. Ex *jure Canonico, Dist. 45. c. non percussorem*, ubi ait: *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt canones dicant, benè fraternitas vestra novit: Pastores enim facti sumus, non percussores. Et egregius prædicator dicit, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Nova verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.*

Ibidem c. qui sincera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem, reddita ad planum ratio, poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui cultura volunt suspendere suas illi magis quàm DEI causas probantur attendere.

Caus. 23. quæst. 4. c. Tres personas: Ecce, quòd mali tolerandi sunt, nec corporali sed spirituali vindicta sunt puniendi.

Cap. seq. ex Hieron. in c. 4. ad Galat. Qui secundum carnem natus erat, persequeretur Spiritualem: nunquam enim spiritualis carnalem persequitur, sed ignoscit ei quasi rusticano fratri, scit eum posse proficere per tempus, &c.

Ibid. quæst. 8. c. 29. & 30. *Judicio sanguinario se non debent immiscere Ecclesiastici, nec truncationes per se inferant aut inferendas præcipiant, qui secus facit, functione pri-
vetur.*

116. 2. Jesuitæ in *Colloquio Ratisbonensi* docent populum subjectum teneri (in dubio) eam sequi sententiam, quam tenet suus magistratus, licet erroneam. Quare cum Germani subditi suorum Principum sententiam in religione sequantur, non erunt occidendi.

117. 3. *Stapletonus* Jesuitarum Collega in promptuario morali, Dominica de zizaniis inter alia argumenta, quod hæretici non sint occidendi, affert illud ex *Apoc. 6. 10.* ubi justi exclamant, qui sub Antichristo persecutionem patiuntur: *Vsq; quò Domine, qui sanctus es & verax, non judicas ac vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra* (quod Stapletono explicante erat eradicare velle zizania ex agro Domini hujus militantis Ecclesiæ) quibus tamen D. oraculo responsum est, *ut requiescerent, donec complerentur conservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi essent, sicut & illi.*

118. 4. Affero huc praxin Papiisticam Jesuiticam. Notum est (*malum!*) hoc hominum genus Jesuiticum totum orbem perreptare, mare & aridam circumire, ut faciant profelytum, filium gehennæ: adeoque civitatibus & Principibus persuadere conantur, ut nidificare apud eos liceat & *liberum* habere religionis exercitium, ubi hætenus non sunt recepti vel expulsi antè. Hoc ut persuadeant, mirificè commendant pacem religionis ab Impp. concessam: libertatem religionis adeò necessariam dicunt, ut politia sine hac consistere non possit: Principum & magistratuum eorum sapientiam, prudentiam & pietatem prædicant, qui libertatem hanc indulgent: contra Tyrannos, imò plus quàm tyrannos esse eos magistratus clamant, qui Jesuitis & Monachis libertatem religionis denegant.

119. Volunt Jesuitæ, ut hoc probem ! legant sane Cardinalem Hosium, *Tom. 2. f. 123.* qui apud magistratum Elbingensem in Borussia Regali, literis intercedit, Anno 1568. ut libertatem religionis Papisticæ concederent, postquam recepto Lutheranismō Pontificios Doctores eiecissent, inter alia sic scribit : *liceat saltem in hac Regia civitate, quod licet sub gravi Turcarum tyranno, ut Christus in Bethlehē natus liberè prædicetur.*

Idem *Epist. 274.* ad Episcop. Cracoviæ scribit : *Quod si conceditur Christianis etiam sub Turcarum tyranno: cur non eadem libertas illis permittatur sub Elbigensibus Burgimastris.*

Idem *Epist. 275.* ad Stephanum Pol. Regem scribit : *Ceterum sub initium Anni hujus à M. V. me petere memini, ut strenæ loco mihi largiretur hoc, ut in Elbingensi civitate, liberam Evangelii Christi prædicandi potestatem permitti juberet.*

120. Legant Jesuitæ sua propria scripta, concertat sc. *Eccles. Cathol. in Anglia, f. 246.* ubi per Wilhelmum Alanum suæ causæ advocatum gravissimè conqueruntur, quòd non libertas docendi ipsis in Anglia datur. *Solis, inquit, Catholicis in Anglia negatur religionis libertas, f. 247.*

Ariani Impp. ait, (NB) naturali quadam benignitate inducti fuerunt, ut Ecclesias aliquot & oratoria in cæmeteriis, locisq; contiguis Catholicorum usibus assignarent. Sic Constantinus Arianus & Valens Impp. Athanasio & ejus sectatoribus Alexandria locum non denegavit. Quam solam gratiam Utinam à Principe nostra impetrare possemus.

F. 394. Si vel partem aliquam ejus libertatis, nostri potuissent adipisci, quam habent Catholici in Germania, Helvetia, aliisque locis, ubi potestas summa est penes protestantes: aut quam habent Hugonotti in Gallia, &c. f. 396. Utilissimum est, ut manus deinceps cohibeant à Catholicis subiectis & fratribus suis persecuendis, ut eis permittant libera

conscientia sacris uti frui: quo sic Reginam ejusq; Consiliarios precibus suis DEO commendent tanquam Patronos, quos nunc commemorant solum ut persecutores.

121. Ex quibus omnibus manifestissimum est, Jesuitas suam ipsorum tyrannidem in aliis damnare: idem ab aliis audacter & importunè petere, quod ipsi largiri nunquam aliis volunt. Imò si quid in simili casu à nostris petitur, id omne explodunt: *novam* atque *inauditam libertatis rationem esse* objiciunt, adeoque pro diversa fortuna diversimodè sentiunt. Nos duriozem illam Esauiticam sententiam jam non attendimus, sufficit hìc nobis ex adversariorum scriptis probare, *libertatem & pacem dandam esse religioni, atq; neminem religionis causa persequendum aut occidendum esse.* Judicamus enim servum nequam ex proprio ore.

122. Monemus tamen Christianum magistratum, ut alius rem expendat, cucullos & cuculos hos penitiùs cognoscat, qui quocunque modo in Ecclesias & Respub. irrepere gestiunt, ubi verò nidos construxerunt; magistratus ad suos errores pertraxerunt: ingrati & immemores beneficiorum veteres colonos emigrare & exulare faciunt: imò illos ferro & flammâ tollere authores sunt. Ita nimirum serpentes in sinu fovent!

123. I V. Membrum hujus quæstionis est de Exceptionibus Pontificiorum Doctorum ad nostra argumenta, quæ pro confirmatione nostræ sententiæ hætenus adduximus. Illas nunc breviter videbimus & censebimus.

124. Primò igitur ad parabolam de zizaniis, *Matth. 13. 29.* Bellarminus non contra nos tantùm, sed etiam ipsorum Patrum explicationem excipit, quos vidit pro nostra sententia afferri potuisse, ideoque per occupationem adducit eorum verba, & mentem eorum pervertere conatur. Non hìc intelligendos esse hæreticos (objicit) sed quos-

quosvis homines malos. Resp. Notamus hic 1. Turpe esse Bellarmino tantæ authoritatis Patres deserere, qui aliâs Patrum consensum tanquam Ajacis clypeum nobis objecit. Patrum D. Cypriani & Chrysofomi verba videantur, *thes. 91. 92.* 2. Majoris fecerunt illam Patrum explicationem Bellar. socii, Lyra in hunc locum & Becanus in *Disputation. de fide hæret. servanda. fol. 103.* Qui illam Patrum sententiam secundum nostram explicationem retinuerunt. 3. Hæretici maximè sub malorum numero comprehenduntur tanquam sub suo genere, à mala enim arbore non sunt sperandi boni fructus. 4. Patres hoc loco ipsos hæreticos intelligere manifestum est ex verbis propriis suprâ allegatis. Nam ait Chrysofomus: *Si trucidarentur hæretici, bellum orbi inferretur.* 5. Per absurdum consequens. Si locus hic de malis intelligatur, uno ictu tolleretur magistratus politicus, qui gladium gerit in pœnam & formidinem malis, *Roman. 13.* Si enim extirpatio hæc fieri non debet nisi per ministerium Angelorum, ut CHRISTUS ait, sequitur conniventibus oculis toleranda furta, latrocinia, adulteria! qui furor est Anabaptisticus.

125. Quia autem Bellarm. videt hanc glossam pugnare cum expressis verbis Patrum; illam deserit, & à verbis ad sensum progreditur, h. e. mentem Patrum pervertit. 1. Non simpliciter verba Patrum accipienda esse vult; sed certo respectu; quem ex suo ingenio duplicem fingit. 1. Quod Christus non dicit, nullum hæreticum planè esse occidendum, vel hunc vel illum: sed agat de communi sortæ Ecclesiæ, quod nunquam omnes mali ex illa eradicari possint. 2. limitat: Eatenus tantùm Patres prohibere hæreticos eradicare, quatenus non potest fieri vel cū periculo bonorum, qui fortè simul eradicantur: vel quando hæretici sunt fortiores, ita ut periculū sit, ne majorem Pontificii jacturam faciant, eorumq; plures cadant quàm hæreticorum. Et tum quiescendum putat & abstinendum.

dum. Ubi autem hoc periculum non est (ut addit Bell.)
ibi liberè grassandum esse in hæreticos. Atque hanc de-
mum esse Patrum sententiam & mentem, asserit. Videamus
num vera sint, quæ dicit Cardinalis.

126. Resp. I. Bell. vagari extra oleas. Non enim est
quæstio, an hic vel ille in specie sit occidendus, ex mente
Scripturæ. Nec quæritur, an omnes hæretici possint era-
dicari ante novissimum Christi adventum. Oportet enim
hæreses esse, ait Spiritus Sanctus, & quærelæ Romanensium
testantur conatum illum extirpandi hæreses esse irri-
tum & vanum. Testis est nolens volens Papa Romanus
& Hispaniarum Rex, qui in solo Luthero & posteritate e-
jus delenda (quam illi hæreticam proclamant) omnes
vires, omnes thesauros, omnes artes intenderunt, neq; ta-
men prævaluerunt neq; tamē DEO fortiores extiterunt. Ila-
pis hic sc. est super quē qui cadit cōfringitur: super quē ve-
rò ille cadit, cōteret eum, *Matth. 21. 43.* Regnum illud est q̄
in æternū non dissipabitur, comminuet autē & consumet
universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum, *Dan. 2. 44.*
Quare tumultuentur hostes nostri, in bestias ac leones
convertantur, Dominus tamen ridebit, *Pf. 2.* Exurget
DEUS & dissipabuntur inimici ejus, *Pf. 68.* Hoc autem
in quæstione est, an non simpliciter & absolutè parabola
velit; imò & ipsi Patres parabolam sic accipiant, quod zi-
zania h. e. hæretici non sint violenter eradicandi? Hic
nos tenemus affirmativam cum Patribus. Sic enim Chry-
sostomus habet. *Servi non prudenter sed sedulo tamen ad e-
vellenda zizania festinant. Dominus autem prohibet, ne for-
tè simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod di-
cebat, ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Non
autem verba hæc ad tumultuariam quamvis eradicationem
tantūm referri, sed ad individua etiam hæreticorum,
patet ex D. Chrys. quia sic illi etiam pereunt hæretici, qui a-
liquando potuissent frumentum Domini fieri, vide sup. thes. 86.*

127. Unde sic arguimus contra Bell. Qui eradicationem zizaniorum (hæreticorum) ideo prohibet, 1. ne triticum, h.e. boni Christiani evellantur. 2. ut vitetur sanguinis effusio; ille simpliciter & totaliter eradicationem violentam prohibet. Atqui D. Chrysoft. propter has ipsas causas prohibet evulsionem zizaniorum. Ergò simpliciter & totaliter. Ratio propositionis est, quia eradicatio (*in Schola Esauitica*) non fit sine duplici hoc periculo, & evulsione boni seminis, & effusione sanguinis. Ergò simpliciter ab eradicatione Papistica sanguinaria abstinendum est, nisi contra D. Chrysoft. quis statuere velit, quod Papistis non licet.

128. Deinde & D. Cyprianus simpliciter intelligit verba Christi, quando ait, superbam obstinationem & sacrilegam præsumptionem esse (zizania eradicare) quam sibi furor pravus assumat, quia soli Domino concessum est fictilia vasa frangere. Vide th. 91.

129. 2. *distinctio Bellarmini*, qua distinguit inter hæreticos imbecilliores, qui possint sine damno Catholicorum interfici, & sic debeant: & majores ac fortiores, qui absque detrimento Catholicorum non possint interfici: *prodit totum mysterium crudelitatis Esauiticae*. Vident enim hic Augustissimi Principes & cæteri magistratus Reipub. Christianæ, Ecclesiæ DEI nutritii, quid ab his malis bestiis communi nostræ patriæ sit expectandum! Quod enim pace aliquantulum fruimur, id à DEO Opt. Max. authore pacis esse intelligitis: post DEUM etiam grata mente agnoscitis à summis magistratibus proficisci Augustissimo Imperatore, Regibus & Principibus; quorum DEUS corda regit, ut vel natura abhorreant ab ista Esauitica barbarie, vel consilia gubernat, ut ad publicam tranquillitatem & DEI gloriam cedant. Contra quicquid hac in parte DEUS Optimus largitur, vident omnes non Esauitis sanguinariis acceptum ferendum esse, qui hic publicè protestan-

G

tur,

tur, nullam Evangelicæ Ecclesiæ (hanc enim hæreticam dicunt) pacem concedendam esse, nisi eo tantum in casu, ubi periculum sit, ne ipsi illatores cladem ferant majorem, quod ubi non sit metuendum, ferro & flamma eradicandum esse. O crudelitatem! ô lupinam rapacitatem! ô leoninam ferocitatem! Vestrum est patres patriæ pestes illas, furentes bestias, nil nisi minas & sanguinem spirantes à communi patria arcere: gregem Divinitus commissum pascere: neque per securitatem aut soporem committere, ut bestia illæ in ovile vestrum ingrediantur, quo semel ingressæ, oves cum pastoribus diripiant, jugulent, latrocinentur: aut igne Hispanico injecto totum ovile incendio perdant! Quod summus pastor noster CHRISTUS JESUS ad dextram Patris, suis excubiis clementer avertat, luporum cuniculos intervertat, contraque vim & fraudem oves suas muniat, ipseque pascat & ducat (*pusillum gregem*) in montibus Israël, *Ezech. 34.*

130. Ad argumentum ex *Luc. 9.54.* excipit Bellarmin. 1. distinguendo Samaritanos & nostri temporis hæreticos, illos non fuisse compellendos aut occidendos, quod nunquam promiserint, se fidem Christi servaturos, hoc est, quia nunquam in Ecclesia Christi fuerint: nos autem Evangelicos in baptismo professos esse fidem Christi, quã quia deseramus (ut ille ait) meritò compelli & occidi ab ipsis. 2. Apostolos poenam illam expetivisse non tam zelo salutis animarum, quàm amore vindictæ, ideoque meritò reprehendi. 3. Conatur ostendere Bell. zelum Eccles. Rom. alium esse quàm illum discipulorum, *Luc. 9.* Atque similem esse zelo Christi, *Matth. 21.* D. Petri. *Act. 5.* D. Pauli. *1. Cor. 5.* Moyfis, Phinees, Eliæ, Mathatiæ & aliorum Sanctorum. Resp. 1. Hanc distinct. Bell. esse nullam. Quòd si enim vera hypothese nititur sententia Esauitica de occidendis hæreticis, magis certè illi compellendi & occidendi sunt, qui longiùs à vera Ecclesia, à cognitione voluntatis DEI & à
via

via salutis aberrant, quàm qui propriiores sunt, & voluntatem DEI in Scripturis patefactam sequuntur. Hæc ita esse ratio ipsa dicit. Sed ostendam hoc amplius Esauitis ad oculum, *LUC. 14.* In præparatione Cœnæ magnæ Dominus emisit servos ad invitatos (intellige Judæos filios Ecclesiæ) quibus dicerent: Venite, quia jam parata sunt omnia. Illis autem spernentibus, servos emisit tandem foràs ad vias & sepes (h. e. ad gentes, extra Ecclesiam) ut ad intrandum compellerent homines. Cùm igitur hos compellere jussisset, non illos (quod tamen non de violenta Esauitica coactione: sed Apostolica, de instanti adhortatione, objurgatione accipimus) colligendum hinc esset Esauitis, illos potius compellendos, h. e. occidendos (ut in Schola Esauitica intelligitur) qui sunt extra Ecclesiam, quàm qui sunt filii Ecclesiæ & per baptismum in Ecclesiam recepti. Verum est hoc Judaizare, crucifigere Christum & petere Barrabam. Ratio est in promptu, quia Sathanas non odit gentes, quæ Christum ignorant: sed quæ Christum confitentur.

131. 2. Non dissimilis est ratio zeli Papistici & tum tēporis Apostolorum carnaliter affectorum. Quicquid enim Esauitæ hîc prætendunt, se salutis nostræ desiderio hoc zelo efferri, ridiculum est, & nulli sano persuadebunt: non minus quàm sicario cuidã crediturus est Bell. vel latroni, qui vel ex zelo vel commiseratione nescio quâ finire sibi vitã velle prætendat. Si enim tanto zelo salutis nostræ flagrant, cur non ea media capiunt, quæ ad conversionem hominũ sunt idonea; quæ Christus & Apostoli præscripserunt? Cur iis potius insistent, quæ Christus & Apostoli prohibuerunt? Eodem sc. morbo laborant quo tum discipuli Christi, odio scil. & vindictæ cupiditate: maximè cùm vident homines per frigiditas suas conciones suaq; scripta ad suos errores trahi non posse tanquam ordinarium medium; ad carnificinã hanc confugiunt, fustibus, igne, gladio, Papistas efficere nos volunt. Contra verò in N. T. proce-

dendum est suaviter & benignè, quia est lex amoris, non timoris, ut dicit *Lyra* in hunc locum. Et Christus graviter dehortatur discipulos ab hac carnali cogitatione, occidendi homines impios, ut in Veteri Testamento Elias & alii fecerunt. Nescitis, inquit, cujus Spiritus filii estis? Prætereà rationem addit se non venisse ad perdendum, sed ad sanandum animas hominum, quam esse mentem Christi & ipsius & Apostolorum praxis testatur.

132. 3. Quò ad exempla: tantum distat zelus Roman. Eccles. in occidendis hæreticis, quantum distat coelum & terra. Nam 1. illorum omnium zelus bonus fuit & secundum scientiam, à Spiritu DEI excitatus, secundum legem DEI: Romanensium autem zelus est malus, sine scientia, utpotè carens verbo DEI, & sic cœcus impetus & furor magis est quàm zelus, qualis zelus fuit Saulis, *Philip. 3. 6. Galat. 1. 13. 1. Timoth. 1. 13.* aliorum impiorum, *Actor. 5. 13. 17. Actor. 13. 45. Actor. 10. 2.* sed quis hinc inferet zelo DEI & salutis hominum hi persecuti sunt Christianos. Ergò rectè fecerunt! 2. Zelus illorum fuit extraordinarius: Pontificii nunquam non occidunt obvios: quotidianis cædibus & uestionibus polluantur. 3. Zelus ille non simpliciter contra hæreticos fuit: 1. enim Christus *Matth. 21.* numularios è templo ejecit, tanquam profanatores templi sui, cum scriptum esset, domus mea est domus precationis. 2. Neque tamen tales occidit, sed flagellavit, ut resipiscerent.

133. 2. Si Moysis & Phinees sequi velint exempla, Esauitæ, qui homines impios, scortatores & percussores occiderunt: de pace Ecclesiæ nostræ jam constitutum est. Tot enim intra Rom. suæ Eccles. pomæria impios plagiarios, scortatores, Sodomitas inventuri sunt, ut Esauitæ quamvis instar locustarum Ægypti, minimè cædibus istis finiendis sufficere putandi sint, taceo, quòd in nostras Ecclesias sævire tempus fuerit, quæ DEI gratia Catholi-

tholicas istas artes Rom. Ecclesiæ, ut plurimum feliciter ignorant. 3. Exemplum Mathatix, 1. *Maccab. cap. 2. 24.* Esauitas non iuvat, quia singulare est. 2. textus declarat, quod zelatus sit secundum *legem*, illam sc. *Deut. 13.* Esauitæ jam habent aliam legem à Christo præscriptam & Apostolis. 4. Exemplum incæstuosi, 1. *Cor. 5. 1.* non agit de pœna seculari, sed spirituali, excommunicatione, qua patet ad Ecclesiam reditus. 2. *Cor. 2. 7.* hanc pœnam ut strenuè exercent, Papistas monemus. Tum ab incæstuoso ad hæreticum concludere non licet Bellarmino, quamvis Cardinali.

134. 5. Ad exemplum, *Act. 5.* ubi legitur ad incriminationem Petri Ananiam & Saphiram concidisse & expirasse. Resp. 1. à diversitate personarum: Petrus & Antichristus plurimum differunt. Duo igitur cum faciunt idem, nō est idē. 2. differunt instrumentis: Apostolus verbis egit contra Ananiam, qui manu Dei tactus per miraculū occubuit, & sic miraculosè: Pontificii occidunt fune, igne, gladio: nullo miraculo (de quibus aliàs mirificè gloriantur) sed physico & crudeli spectaculo: Turcis & Barbaris communi miraculo. Si spirituali gladio hæreticos extirpare volunt, hoc ipsis permittemus. Quin si uno halitu totum exercitium sternere possint, quemadmodum miles ille gloriosus apud Plautum; nos hanc cladem æquissimè feremus. Tandem est Elenchus causæ, Ananias non est occisus, quòd hæreticus esset, sed quia mentitus est Sp. Sancto. Quare hætenus allata exempla à Bell. contra Pontificios militant magis, quàm pro illis.

135. Quò ad authoritatem Patrum, habet quod excipiat Bell. 1. ad authoritatem D. August. fuisse illum aliquando in hac sententia, sed eam mutasse & retractasse tandem, atque sic occidendos esse hæreticos statuisset, 1. 2. *retractat. c. 5. Epist. 48. & 50.*

136. Resp. 1. ut ex hypothesi Pontificiorum loquamur quasi August. retractarit suam sententiam : quæro ego ex Bell. An D. Augustino plus credere par sit, quando cum Scriptura loquitur, adeoque cum Scriptura affirmat, hæreticos non esse occidendos : an verò quando à Scriptura aberrat & diversum ab ea sentit ? Hic aqua hæret Papistis ! 2. Negamus D. August. unquam in eam sententiam descendisse, quòd statuerit, hæreticos esse occidendos. Videamus fundamentum Papistarum ex ipso Augustino, qui *l. 2. retract. c. 50.* sic scribit : In primo libro contra Donatistas, dixi, mihi non placere ullius secularis potestatis imperium, schismaticos ad communionem violenter actari : & verò mihi placebat, quia nondum expertus eram, quantum mali eorum auderet impunitas. Ergo inferunt Pontificii, licebit occidere hæreticos ! Resp. 1. plus est in consequente, quàm ex antecedente potest inferri. Hoc tantùm ex verbis Augustini deduci potest, violentius esse arctandos Donatistas quàm antea, cum planè impunes eos esse voluit, & apud magistratus pro iis intercessit, cum malitiã eorum nondum cognovisset. Nunc verò edoctus de crudelitate & scelere Donatistarum, multò aliter sentire : arctius sc. illos astringendos esse. Verùm non idem est arctius astringere, & planè occidere. 2. Consequentia Papistica laborat exemplorum dissimilitudine. Donatistæ non fuerunt tantùm schismatici in doctrina ; sed etiam in vita, persequentes Ecclesiam DEI, armis contra illam insurgentes : alios oculis privantes : alios manibus truncantes : aliis linguas præcidentes : adeoque non simpliciter hæretici, sed seditiosi fuerunt & facinorosi, quos suprà confessi sumus, jure plecti. Quid verò hoc ad crudelitatem Esauiticam, qui absque ulla politica causa in homines truculentè sæviunt !

137. Ut nostra sententia manifestior sit, probamus ex *Epist. 50. ad Bonifacium, Epist. 160. ubi scelera Donatistarum*

rum

rum nominatim perstringuntur. Sed agnoscit hoc ipsum Becanus in Disput. de hæreticis. fol. 91. ubi verba August. profert ex Epist. 68. ad Januarium Donatistam, sic scribens: *Priora mala nobis vestri nunc faciunt: non tantum nos fustibus quassant, ferroq; concidunt: verum etiam in oculos extinguendos, calcem mixto aceto, incredibili excogitatione sceleris, mittunt. Domus insuper nostras compilantes, arma sibi ingentia & terribilia fabricarunt, quibus armati per diversa discurrunt, comminantes atq; anhelantes cædes, rapinas, incendia, cæcitates. Et post: Vos dicitis pati persecutionem, & nos ab armatis vestris fustibus & ferro concidimur, &c.*

138. Idem tamen Augustinus capitali in eos pœna animadverti non vult (licet justissime ita punirentur) sed pro mitiori pœna apud judices intercedit. Sic enim Epist. 50. scribit: *Gratias autem Domino agimus, quod sine ullis istorum insanorum (Donatistarum) morsibus pax Catholica cucurrit & currit. Ibidem: Nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, non esse petendum ab Impp. ut ipsam hæresin juberent omnino non esse pœnam constituendo eis, qui in illo esse voluissent: sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam predicarent. Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem, piissimæ memoriæ, Theodosii, quam generaliter in omnes hæreticos promulgavit, ut quisq; eorum Episcopus vel Clericus, ubi libet esset juvenis, 10. libris auri mulctaretur, expressius in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ita confirmarent, ut non omnes ea mulcta ferirentur: sed in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis, vel à circumcellionibus, vel populis eorum, Ecclesia Catholica pateretur. Quid opus est verbis? Bell. ipse hoc agnoscit, l. 3. de laicis. c. 21. scribens: quod aliquando senserat (Augustinus) non esse vi cogendos hæreticos ad fidem, & prolixè probat, id utilissimum: semper tamen excipit supplicium mortis. Non quod illos hoc non mereri putaret: sed tum quia hoc dicere Ecclesiæ mansuetudinem*

dinem existimabat: tum etiam, quia nondum ulla extabat lex Imp. de puniendis capitaliter hæreticis. Sed dicam ego Hypocritæ; annon & hodie Ecclesiam decet mansuetudo? annon vos decet, qui ipsam mansuetudinem repræsentare vultis? an mansuetudo tum temporis virtus, nunc vitium est? Præterea notamus confessionem Bellar. quod usque ad tempora Augustini (ita enim dicto capite scribit) lex de occidendis hæreticis data non fuerit.

De reliquorum Patrum autoritate nihil habent, quod excipiant adversarii, quia nullos retractatus scripserunt. Manent igitur illa allegata Patrum nobis integra, quod hæretici non sint occidendi; à quorum autoritate cum hic deficiunt Papistæ, quomodo, quæso, manebit illa nota Ecclesiæ Papisticæ, quam Bellarm. 6. loco ponit, *de notis Eccles.* ex quibus Ecclesia cognosci debeat: nempe *Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua!* Cum nullum ex omnibus Patribus, aut Conciliis locum afferre possint, qui Esauiticam hanc conclusionem probet. NB.

139. Quæ ex praxi vet. Eccles. de damnatione Arii, Nestorii & aliorum attulimus, quòd capitalis in eos pœna lata non sit: & quæ de libertate religionis temporibus Christianorum Imp. diximus, cum historica sua veritate constant, negare nemo potest.

140. Videamus, quæ contra allatas nostras rationes excipere possint hostes veritatis. Hic nihil invenio, quàm quod Bell. tyrannidem Pontificiam hoc modo excusat. Beneficium est (inquit) quòd de hac vita tolluntur hæretici, nam quò diutius vivunt, majorem sibi damnationem acquirunt. Resp. 1. Beneficium non datur invito. 2. Præstigiæ sunt Jesuiticæ, qui summam crudelitatem, summum vitium, in summam virtutem transmutare, h. e. coelum & terram miscere audent. Sic sc. una & eadem res est beneficium, quando Evangelicis confertur: quando verò

Jesuitis

Jesuitis & sui similibus offertur, est execranda tyrannis & Antichristiana.

141. Quæ ex hypothesebus Pontificiorum & Jesuitarum attulimus: hæreticos scil. non esse occidendos, sed tolerandos, libertate & pace religionis donandos: illa cum ex propriis suis scriptis prolata sint, negare non possunt.

142. Sequitur V. membrum hujus secundæ quæstionis, quod continet objectiones adversariorum, & nostras ad illas responsiones. Quamvis verò plures sint ex scriptoribus Pontificiis, qui operam suam Antichristo Romano in hac cruenta materia addixerunt, atque calamum tanquam ferrum strinxerunt in hæreticos: tamen unicum Bell. in aciem jam producimus, cujus præcipuè argumenta ordine examinabimus, quia omnia illa diligenter compilavit, quæ alii ante ipsum pro Pontificia sententia in hac materia prodiderunt.

143. Fundamenta suæ probationis affert Bell. *l. 3. de laicis. c. 21.* Ex Scripturis I. & quidem ex V. T. locum affert, *Deut. 13.* Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & avertat vos a Domino DEO vestro: statim interficies eum: lapidibus obrutus morietur, *c. 17. 12.* qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur, &c. Ex his pro Bell. concludimus hoc modo: Id quod DEUS in Scriptura mandat omninò à nobis fieri debet. At Scriptura mandat, hæreticos & Pseudodoctores occidere. Ergò sunt occidendi. Resp. I. ad propositionem per limitationem: Quicquid DEUS in Scriptura mandat absolutè & simpliciter, sine ulla exceptione temporis, personarum & aliarum circumstantiarum, illud omninò fieri debet. Atqui jam assumo: DEUS in Scriptura non absolutè & simpliciter sine ulla exceptione temporis & personarum, &c. mandat, occidere hæreticos. Ergò neque absolutè & simpliciter occidi debent.

144. At excipit Bell. ista limitatio propositionis in
textu non est? Resp. 1. optimè ex textu deducitur, quia
1. DEUS non loquitur ad quemvis populum, sed ad Israë-
litas, dicens: Si surrexerit *in medio tui*. 2. Si Bellar. pro-
positionem simpliciter intelligere velit, deduco eum ad
absurdum, hac ratione: Id quod DEUS mandat in Scri-
pturis simpliciter & semper, faciendum est. Atqui DEUS
mandavit circumcisionem carnis, celebrationem agni
Paschalis, abstinentiam ab esu certarum carnium & alia
infinita. Ergò id quoque in N. T. faciendum est! 3. Dispa-
ritas est in erroribus & errantibus. Illi, qui in legem *Deut. 13.*
peccârunt, adeoquæ poenas luerunt, DEUM Israëlis per-
negârunt: Papistæ illos plectunt, qui DEUM Israëlis sin-
cerè colunt & venerantur.

145. 4. Distinguimus ergò hîc præcipuè inter tem-
pus V. & N. T. In V. T. licuisse occidere hæreticos (ex
populo DEI ortos) agnoscimus: in N. T. autem aliam ra-
tionem esse asserimus. Licèt verò nemini teneamur hu-
jus rei rationem reddere, quia utriusque temporis regula
tractandi hæreticos esse nobis debet S. Scriptura, quæ
hæreticos V. T. occidendos concedit: N. T. autem mi-
tius tractandos proponit. Verùm quia causæ hujus di-
versitatis in Scripturis non obscurè explicantur, eas nunc
investigabimus, & vindicabimus contra crudelitatem
Pontificiam.

146. 1. Igitur ratio sumitur à variis & immensis DEI
beneficiis, quibus planè miraculoso & extraordinario mo-
do DEUS hunc populum Israëliticum præ reliquis omni-
bus demeruit: inter quæ referri possunt: liberatio à servi-
tute Ægypti: inductio in terram Canaan, terram toto cœ-
lo fertilissimam: distributio terræ hæreditaria: cibatio cœ-
lestis in deserto: defensio ab hostibus: & quod viva voce
DEUS præsentiam suam testatus est in medio hujus populi:
ipsumquæ in visibili forma nubis & columnæ præcessit: adeò
ut

ut taliter non fecerit omni populo, *Pf. 147.* Quibus infinitis beneficiis corporalibus accessit magnus cumulus beneficiorum spiritualium: quòd DEUS certam cultus rationem præscripsit: legem tradidit: in peculium, hæreditatem & Sacerdotale regnum hunc populum assumpsit. Quam prærogativam seu præcellentiam Apostolus commendat, *Rom. 9. 4.* cū ait: Israëlitarum est adoptio, gloria, & Testamēta, & legis constitutio, & cultus, & promissiones.

147. 2. Ratio sumitur à loco, & quidem dupliciter. 1. Quia fuit exiguo spacio intra unius populi terminū circumscriptus, & sic facilius, minoriq; periculo executio hujus legis locum habere potuit: quamvis nec inter illos quidem semper habuit. Cū enim totæ tribus sæpè defecissent, non legimus unquam, copiosum sanguinem religionis causa profusum fuisse. 2. Quia locum hunc sanctum esse DEUS voluit peculiariter. Ideò enim à priori idolomania terram hanc purgari voluit, quo sedes illa sancta esset, in qua populus DEI, imò DEUS ipse in medio populi habitaret. Tum ea conditione hunc populum intromisit, ut pietatem coleret, adeoq; totus locus sit tanquam officina pietatis & sanctitatis, immunis ab omni idolo & hæresi. Unde etiam terra sancta dicitur, *Ios. c. 5. vers. ult.*

148. 3. Ratio sumitur à persona Messia, qui ex hoc populo, certa familia & loco nasci debuit, in quo uno totius populi Israëlitici, imò totius generis humani salus constituta fuit. Cū igitur DEUS novisset promptitudinem hujus populi ad idola, tum duritiem populi in illis cultibus: ideò severiori poena hunc populum astringere voluit, & magistratui hanc legem commendavit, ne per somnolentiam illius, populus gentilium cultib. misceretur, & sic adventus Messia, nativitas, familia, tempus & locus nativitatis obscurus vel incertus redderetur, id quod summā rerū confusionem introduxisset, & totius operis redemptionis successum & effectū magna ex parte suspendere potuisset.

149. Hæc omnia ad ingratitude illam populi gravissimè exaggerandam pondus habuerunt; ut si quis ex hoc populo oriundus, ad falsos Deos conversus, fratres suos post se abduxisset, justissimè ob hanc tantam insaniam corporis supplicio puniri censendus sit. Quæ rationes cum locum non habeant in N. T. neque hæreticos N. T. subjici posse iisdem poenis, quis sine absurditate dixerit. Concludo: Qui gravius delinquit, graviozem etiam poenam meretur. At Judæi gravius deliquerunt, quàm ullus alius populus, propter ingratitude erga tot & tanta extraordinaria Dei beneficia. Ergò Judæi graviori poena digni, quàm ulli alii populi. Propositio est juris & æquitatis naturalis. Assumptio est manifestissima ex allatis argumentis. Ergò stat conclusio: populus Israël graviozem poenam luere debet, à vera religione aberrans, quàm ullus populus vel V. vel N. T. Iniqui igitur sunt Esauitæ, cum inæqualibus æquales poenas decernunt: imò graviori, ignis poena in hæreticos nostri temporis animadvertunt; quã Patres in V. T. in sui temporis hæreticos. Adde, quòd si in Eccles. N. T. lex illa valere debeat, nullus modus, nullus finis futurus sit fundendi sanguinis humani. Præcipuè cum malignantium Ecclesia semper amplior: vera autem ex mira paucitate, non latissimo illo modo in S. literis definiatur, quem Papistæ somniant. Confer *Matth. 7. 13. Matth. 24. 11. 24. Luc. 12. 32. c. 18. 8. 1. Timoth. 4. 1. 2. Timoth. 3. 1. 2. Thessal. 2. 3. Apoc. 13. 15.*

150. Quare ex hoc fundamento petitur distinctio legum forensium & moralium seu naturalium. Illæ astringentes tantum populum Israël, sublata politia Mosaica, simul cum illa expirârunt, in quantum forenses sunt; quo in censu etiam hæc lex de occidendis hæreticis referenda est: hæ perpetuò durant, & obligant omnes homines, ut præcepta Decalogi præcipuè. Quare sublato formali h. e. illo, quod est foro politico & Judaico proprium, in hoc casu

casu servatur, quod est naturale & morale, scilicet hæreticos nostro tempore esse coercendos; seductores esse puniendos. Quòd autem morte puniendi sint, illud forense est, & propter dictas causas nos non obligat.

151. Hæc ita se habere, probamus exemplis. Constat ex collatione V. & N. T. multos in rebus humanis casus dari, ubi non eadem poena utriusque temporis observatur. Leges de furto mitiùs in V. T. puniunt delinquentes, *Exod. 22. 1.* quàm leges & constitutiones Impp. nostris temporibus. Ita Lex *Ex. 21. 20.* qui percusserit servum aut ancillam, ut supervivat die uno vel altero, non subiacet poenæ: Eadem lex nostro tempore locum non habet. Contra multæ sunt leges, quæ severius in V. T. violatores puniunt, quàm in N. T. Cape Exempla: *Exod. 21. 15.* percussores parentum morte mulctandi sunt: in N. T. mitiùs puniuntur. *Exod. 21. 17. Levit. 20. 9.* parenti maledicens, moriatur: nostro tempore eo rigore lex illa non observatur, *Exod. 31. 14.* laborans Sabbatho, morte moriatur: in N. T. lex isthæc non habet locum. *Levit. 21. 9.* lex est: filia Sacerdotis meretrix, comburatur: in N. T. nusquã obtinet. *Deut. 21. 18.* Filius parentibus immoriger, lapidandus est: cui, quoad hanc poenam, parcit Christiana lenitas. *Deut. 22. 21.* lex est: non inventa virgo, lapidetur, quia fornicata est in domo patris sui; hæc lex inter Christianos locum non habet. Et quomodo audent Pontificii Doctores rigorem hujus legis de puniendis hæreticis asserere ex V. T. cùm ex infinitis exemplis legum forensium doceri possit, non eandem ejusdem legis auctoritatem esse in distinctis Testamentis? Quare non prius, quod volunt, obtinebunt, nisi legem de hæreticis, legem Decalogi, adeoquæ moralem & universalem esse demonstrarint.

152. Locus *Deut. 17. 9.* Non loquitur de rebus fidei: sed de rebus forensibus & ceremonialibus (ut textus ait: venies ad Sacerdotem Levitici generis, & ad judicem, qui

docebunt te *juxta legem*, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram) in quibus rebus sanè judicio legitimi magistratus erat standum.

153. Objicit hic Bellar. Scripturæ exempla Eliæ, Josiæ, Jehu & aliorum, qui hæreticos occiderunt. Quare & nostro tempore idem fieri debere concludit. Resp. 1. sunt hæc omnia exempla V. T. ubi habet locum lex, *Deut. 13. 2.* Exempla sunt heroica D. Spiritu profecta, quæ in exemplum trahi non possunt, nisi Esauitæ Enthusiasmos, Anabaptisticos, & furores Schwenckfeldianos prodere velint. 3. Sunt extraordinaria, quæ non nisi semel in notabili reformatione Ecclesiæ locum habuerunt: Esauitis hoc ordinarium est, sitire scil. sanguinem humanum, & nunquam eo satiari. 4. Illis exemplis nos jam opponimus præceptum Christi & Apostolorum, qui hæreticos occidi non voluerunt, sed potiùs contrarium statuerunt.

154. Objiciunt hic porrò alii, locum *Zach. 13. 3.* ubi Propheta vaticinatur de poena falsorum Prophetarum, tempore N. T. his verbis: Et erit (in N. T.) cum prophe-taverit quispiam, dicent ei pater ejus & mater ejus: *Non viues.* Ergò in N. T. hæretici sunt occidendi! Resp. 1. Omnis Scripturæ interpretatio debet esse analoga fidei. Talis autem non est illa de hæreticis capitaliter puniendis in N. T. Nam alia Scripturæ dicta suprà allata manifestè contradicunt. Talis igitur est quærenda interpretatio, quæ sit fidei analoga, & quam ipsa verba textus innuunt: qualis est, si dicamus, non propriè, sed metaphoricè verba Prophetiæ intelligenda esse, id est, secundùm sensum N. T. quemadmodum plura ejusmodi exempla dantur, ubi verbis quidem describitur cultus & ritus V. T. sed res ipsa secundùm mentem N. T. accipienda est. Exempli gratia: Jubemur nos in N. T. circumcidere corda nostra: Pascha celebrare in azymis, &c. Phrasis igitur, *Non viues*, non idem hîc vult, quòd naturali morte mulctandus. Repugnat enim

nim hoc affectui naturali, occidere eos, quos genuimus:
tum & ipsi textui adversatur, quia additur, *confundetur, si-
ve pudore afficietur*. Non possumus autem proprie dici con-
fundere aliquem, sive pudore afficere, quem gladio tol-
limus: sed si argumentis & rationibus confodimus, tur-
pitudinis aut erroris convincimus, ut in Scholis hæc phra-
sis est receptissima, quare de vita hîc non agitur corporali,
sed spirituali, hoc est, quòd falsam tenens doctrinam, non
habiturus sit partem in vita æterna. Qua in significatione
hoc vocabulum accipitur, *Ezech. 33. 10. c. 18. 24. Nunquid vi-
vet?* hoc est, damnabitur, æterna morte morietur.

155. Secundo loco Bellarm. argumenta profert ex
N. T. & 1. quidem ex loco *Matth. 18. 17.* Si Ecclesiam non
audierit • sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Syllogis-
mus ex sententia Bellarmin. talis fiet. Qui Ecclesiam D E I
non audiunt, illi pro Ethnicis & publicanis haberi possunt,
ac proinde seculari magistratui ad mortem tradi. Atqui
hæretici non audiunt Ecclesiam D E I. Ergò hæretici pro
Ethnicis & publicanis haberi, & proinde seculari potesta-
ti & morti tradi possunt. Resp. 1. Propositio est *λίαν μέγα
ἄιτημα*, imò falsissima est, quoad membrum posterius. Non
enim qui haberi possunt pro publicanis & Ethnicis, con-
tinuò magistratui seculari tradi possunt ad mortem, nisi
absurdissimè statuas, Ecclesiam omnes publicanos & Eth-
nicos tradere posse seculari magistratui ad mortem. Quæ
absurditas magis patescit, si attentius consideraveris, quid
sibi velit phrasis Christi: sit tibi velut Ethnicus & publica-
nus. *Lyra*, ut & reliqui interpretes de excommunicatione
& separatione Ecclesiastica locum, hunc exponunt,
deque mutuis fratrum offensis, & reconciliatione,
quæ fit per censuram Ecclesiasticam. Ubi non ita ex-
cluduntur ab Ecclesia homines, ut non per pœniten-
tiam pateret aditus & reditus ad eam. Imò hic finis est Ec-
clesiæ principalis in excommunicandis aliis, ut pœniten-
am

am agant, & ad unionem Ecclesiæ redeant. Vide praxin Apostolicam.

156. 2. Quoad publicanos: legimus, *Luc. 13. 12.* cùm baptismum peterent à D. Johanne, non carnifici traditos esse, aut seculari potestati (ut vult Bellar.) sed in Ecclesiæ gremium receptos per baptismum, & sola hac informatione dimissos esse placidè: ne quid amplius quàm quod constitutum erat, exigent. Idem patet exemplo D. Matthæi, qui cùm publicanus esset à Christo ad Apostolatam vocatus & informatus est. Quare hîc distinguendum est Bellarmino, inter excommunicationem Ecclesiasticam & politicam. 3. Bell. sibi ipsi & praxi Papisticæ contradicit, dum eos morti hic tradi jubet, qui in statu Ethnicorum sunt, cùm suprâ distinxerit, Ethnicos seu gentes non esse cogendas ad Ecclesiam, quia fidem nunquam dederint Ecclesiæ, th. 130.

157. 4. Quia verò Bellar. hunc locum ad hæreticos trahere gestit: nos summo jure ab eo postulamus, ut transigat primùm cum suis inquisitoribus, ut methodum hanc Christi diligenter observent. 1. non ad Pilatum statim rapiant quemvis ex falsa suspitione aut literis proditoriè scriptis, sed expectent, usque eos hæretici de facto offenderint, dicente Christo: *Si peccavit in te frater tuus.* 2. Eam humanitatem præstent fratri erranti, ut ipse inquisitor præmoneat vel arguat eum solus, sive id faciat per alium, amicè; adeoque eum placidè dimittat, suaque humanitate conetur lucrari fratrem, & vincere beneficiis. 3. Quòd si post experientia comprobaverit evidenter, fratrem non locum dedisse admonitioni inquisitoris, adhibeat ejus rei testes (secundùm præceptum Christi) instet suis fraternis monitionibus, hortetur. 4. Quòd si placidè hoc modo dimissus ulterius scandalum aliquod dederit; tandem licebit talem ad judicium Ecclesiæ deferre, & sic tanquam Ethnicum & Publicanum habere, h. e. secundùm

dùm falsissimam explicationem Bell. seculari potestati & morti tradere. Verùm hunc ordinem à Christo præscriptum non observant sanguinarii, tantùm monstrosas illas & carnificias conclusiones intendunt. Vel enim per suspicionem (quando quis non prodigiosè superstitiosus est) vel per proditionem emissariorum suorum innocentibus insidiantur, vel privato odio & aliis affectibus, adductis falsis testibus, uno atque altero culinario aut stabulario, prædæ locio, tradunt, quæstus causâ. Ut notissimum est, stipendia solvere istis proditoribus, canibus venaticis, qui tales maçtationi adducunt, ad exemplum prototypi: **Quid vultis dare, & ego tradam vobis illum?** At illi constituerunt ei 30. argenteos, *Matth. 26. 15.* Quò si miser venerit si vereus sive innocens, non ordinem à Christo hîc præscriptum observant, ut præmoneant placidè, iterum atque iterum dimittant, correctionem expectent: sed suo modo ad ignem destinant.

158. Objicit Bell. ex *Rom. 13.* Non sine causa gladium gerit magistratus, &c. Unde concludit Bellar. Ergò licet magistratui hæreticos, *tanquam* scelestos homines gladio punire, & *tanquam* omnium iudicio rebelles Ecclesiæ & publicæ pacis perturbatores, ab Ecclesia abscindere, morte mulctare. Fiat Syllogismus: Si magistratus non sine causa gerit gladium, necesse est hæreticos, *tanquam* omnium iudicio scelestos, & publicæ pacis perturbatores, punire & morte mulctare. Atqui prius est. Ergò & posterius.

159. Resp. 1. Distinguendo hæreticos in pacificos & seditiosos; in facinorosos & innocentes. Quòd si accidat, hæreticos esse seditiosos, insurgere contra magistratus, concitare plebem: aut aliàs scelestos esse latrones, prædones: (de talibus enim loqui Apostolum, patet ex textus circumstantia, ubi facit mentionem eorum, qui resistunt potestati & ordinationi D. (h. e. magistratui) qui non vo-
lunt

lunt esse subditi potestatibus supereminentibus: qui non faciunt, quod bonum est, sed malum: qui cum possunt per conscientiam subjici magistratibus, & non faciunt: De his dico, damus totum argumentum Bellarmino, sic enim non sine causa gerit gladium magistratus, sed ad vindictam malorum. Quòd si autem contingat, hæreticos nullo alio manifesto scelere, quod secularis magistratus capitali iudicio subjacet, se contaminasse, sed solius hæreseos criminis accusari: in cæteris esse pacis amantes, quantum in se est: hic non rectè, uti magistratum politicum N. T. suo gladio pronunciamus, si ad mortem usque sæviat, quia nulla lex N. T. tradit ei potestatem gladii in hæreticum. Et magistratus politicus est tantùm Dominus corporis & bonorum: non conscientia & animæ, ut sapienter dicere solitus est Polonorum Rex STEPHANUS. 2. Licèt non gladio suo utatur magistratus in hæreticos, tamen non propterea jus vel usum gladii omnem deponit. Sunt enim plura objecta, in quibus potestatem gladii exerceat. Tum in ipsos hæreticos animadvertit, etiamsi non occidat. Sic nostri Principes, licèt Papistas & Jesuitas, aliosque hæreticos ad mortem non rapiant, propter hæreses & superstitiones, tamen non ideò gladium deponunt.

160. 3. Quòd si ludit Bellarmin. in particula similitudinis, *tanquam*, quòd, licèt non ut seditiosi & scelesti delinquant hæretici, tamen *tanquam* tales, essent puniendi? Sophistam agit egregium, & nullum virum bonum astipulatorem habebit. Nam punire aliquem non seditiosum aut scelestum, *tanquam* seditiosum aut scelestum, repugnat æquitati naturali, & tantùm locum invenit in cerebro Esauitico.

161. Similis est sophisticatio, quòd addit Bellarmin. hæreticos *omnium iudicio* esse scelestos, & publicæ pacis perturbatores, quod falsissimum est pronunciatum, eique repugnat viva experientia, qua evidenter probatur, mul-

tos esse hæreticos (ex hypothefi Papiftarum loquor) qui
fuis magistratibus eam fidelitatem & obfequium præftant,
quantum non faciunt alii Roman. Ecclef. addicti. Hoc ita
verum eft, ut nullus Princeps in tota Europa hætenus de
fidelitate talium fubditorum (loquor de noftre religionis
fociis) conquæftus fit. Sed de his in 4. quæft. plura nobis
dicenda funt. Quare quòd Bellarmin. ait, *omnium judi-*
cio, reft ringendum illud eft; *Esauitico fcil. & Monaftico*, quod
ex patre mendacii informatum & excœcatum eft: quale
illud odio Pharifaico in Apoftolos profectum eft judici-
um, *Actor. 22. 22.* cui faniores è magistratu respondent:
Nos non invenimus, vel caufam mortis, vel mali aliquid
in illo, *Actor. 23. 9. 6. 25. 25. 29.*

162. Objicit ex *Matth. 7. 15.* Hæretici comparantur lu-
pis. At lupi optimo jure occiduntur, fi aliter abigi non
poffint, quia pluris facienda eft vita ovium, quàm mors
lupi. Syllogifmus efto: Lupi poffunt jure occidi. At hæreti-
ci funt lupi. Ergò jure poffunt occidi.

Resp. 1. Est Elenchus 4. terminorum, propositio lo-
quitur de lupo phyfico & propriè fic dicto: Affumptio de
lupo Metaphorico. 2. Est Elenchus comparationis mul-
tiplex. 1. Nullum simile est idem, quare poterit aliquid de
lupo dici, quod non licebit fubfumere de hæretico & con-
trà. 2. Comparatio eft in aliquo tertio inftituenda, ultra
quod non debet extendi, nifi abfurditatem summam quis
incurrere velit. Comparantur autem lupi & hæretici in
hoc tertio; quòd, ficut abigendus eft lupo à grege, ne oves
rapiat: ita & hæreticus à focietate Ecclefie. Non autem pro-
cedit argumentum: Sicut lupo jure occiditur: ita etiam
hæreticus. Ratio diverfitatis eft, quia fimilitudo in oc-
cidendo non confiftit, fed in abigendo tantùm, non enim
omnis lupo occiditur, neque hoc præcipuè intenditur,
ut occidatur, fed tantùm ut pellatur. 3. Lupo ille eft ani-
mal irrationale, indifciplinabile, quod nunquam naturam

hanc deponit, ut non rapiat & occidat: contrà, homo est animal rationale, disciplinæ capax; ita ut lupus, qui jam est, mox in agnum gregis Christi converti possit, adhibitis illis mediis, quæ Christus præscripsit, docendi, convincendi, non carnificum instrumentis maectandi: cujus rei exemplum nobis suppeditat Saulus, *Actor. 9. 4.* Ratio diversitatis est in utriusque lupi sanguine fundendo. Illius sine periculo vel interdicto sanguis funditur: hujus non sine gravissima comminatione, si non justa & politica de causa: nec sine gravissimo periculo salutis æternæ. Unde tales sanguinarij non immeritò animarum latrones dici possunt, cujus nomine Deo aliquando gravissimam rationem reddent. 5. Lupum occidere lex naturæ suadet: at hominem politicè innocentem & justum trucidare, judicio naturæ repugnat, ut antea exemplis demonstravimus in defensoribus D. Pauli.

163. 3. Resp. per instantiam. Pharisei comparantur viperis, quæ jure occiduntur, *Matth. 3. 7.* Progenies viperarum (ait D. Johannes) quis vobis monstravit fugere à ventura ira? Sed tamen D. Johan. non jubet tales viperas occidi, sed jubet converti & facere fructus dignos pœnitentia. I V. Sunt alii modi declinandi lupos hæreticos, quos ostendit Christus, *Matth. 7. 15.* Cavete vobis à Pseudoprophetis, qui sunt lupi rapaces. Famelicum autem lupum insidiantem gregi media non sunt abigendi nisi violenta, quia venter caret auribus. Quare hic occidendus, si aliter populsari non possit: ille verò cavendus est.

164. Objicit ex *Ioh. 10. 1.* qui non intrat per ostium in ovile, is fur & latro est. Per fures autem & latrones intelliguntur hæretici. Ergò ut fures & latrones puniuntur, sic & hæretici? Resp. 1. per fures intelligi hoc loco hæreticos est in confesso; sed non tantùm hæreticos, verùm omnes etiam illos, qui non in legitima functione versantur. In

hanc

hanc explicationem consentiunt interpretes. Hoc jam stante fundamento, si absolutè hinc concludere velit Bell. fures & latrones Ecclesiast. esse occidendos, sequitur omnes etiam illos esse hoc modo tollendos, qui in officia Ecclesiastica illegitimè sese ingerunt, vel per vim vel per simoniam (Ecclesiæ Rom. praxin) id quod tamen Pontificii non faciunt, sic n. ipsi Pontifices illis occidendi fuissent hætenus, de quibus testantur historici; quod ingressi sint, ut vulpes in Ecclesiã regnârint, ut leones, mortui sint, ut canes. Occidendi etiam essent Prælati, Episcopi, Archiepiscopi, qui dignitates Ecclesiasticas pecunia à Papa emere coguntur, sive pallium redimere, ut illi loquuntur. Quam simoniam Simon Petrus detestatur, cum ait, pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei judicâsti pecuniis parari, *Act. 8.20. 2.* Est Elenchus comparationis, hoc enim tantùm sequitur: Si fures & latrones politici sunt puniendi. Ergò etiam fures & latrones animarum, in hoc enim genere comparantur. Sed ut eo modo puniantur, quo illi, non procedit comparatio. Quin contrarium potiùs sequitur, quemadmodum fures & latrones externi externè & corporaliter puniuntur: ita etiam fures & latrones animarum spiritualiter puniendi sunt, quod fit excommunicatione: tradendo eos Sathanae, non carnifici.

165. Objicit idem ex *2. Tim. 2.17.* Hæresis comparatur Cancro, qui non curatur medicamentis, sed ferro excindi debet, alioquin perpetuò serpit, & totum corpus corrumpit. Quare ferro etiam hæretici rescindendi. Resp. 1. Est Elenchus comparationis. Comparatio in eo instituitur, quòd sicut membrum Cancro infectum rescindi debet, ne alia inficiat: ita quoque cum hæresibus & hæreticis agendum, h.e. diligenter rescindendi sunt. Verùm quòd jam inferre volunt: Ergò etiam ferro rescindi debent hæretici, id negamus, quia à re ipsa ad modum rei,

à genere ad speciem non procedit argumentum ; ut non procedit, si dicam, Bell. est persona Ecclesiastica. Ergò est Papa. Rescindi igitur debent hæretici, sed non ferro & igne, verùm aliis mediis, docendo, excommunicando, incarcerando, & in exilium mittendo. 2. Qualis est morbus, tale etiam debet esse medicamentum. At hic morbus est spiritualis. Ergò etiam gladio spirituali curandus est. 3. Per instantiam. Mali mores, peccata, offendicula, sunt gangræna, corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. Ergò ob quævis peccata & offendicula homines morte mulctandi.

166. Exempla Beliar. objicit. 1. Christi ejicientis numularios è templo. 2. Petri occidentis Ananiam & Saphiram : ad quæ suprâ est responsum. 3. Affert exemplum D. Pauli excoecantis Elymam, *Act. 13. 11.* quia Proconsulem à fide impedire conatus est. Resp. 1. ex thes. 134. idem, quod ad exemplum D. Petri percutientis Ananiam. 2. Ex textu, qui miraculum hic describit. 1. Ex persona Apostoli, quòd repletus Sp. Sancto intentis oculis in Elymam magum, dixit: ô plene omni dolo & omni versutia, fili Diaboli. 2. Addit: & nunc ecce manus Domini super te & eris cœcus, non videns solem usque ad tempus, usque sc. ipse magus virtutem Dei agnosceret, vel alii ex illustri hoc miraculo ad fidem Christianam conversi fuerint. Esauitæ homines non visu, sed vita privant: non bono, sed malo spiritu repleti, patre homicidii, *Ioh. 8.* Quare exempla hæc sunt aliena à crudelitate Papistica.

167. Secundo loco à Scriptura Bellar. progreditur ad II. Impp. quas Ecclesiam semper probâsse dicit. 1. ait Constantinum Imp. Arium cum sociis in exilium relegâsse. Assentimur, & probamus hanc sententiam, hocque tantùm monemus, ut quemadmodum Imperator & Concilium Arium erroris sui ex *Scriptura* convicerunt, sic & faciant Papistæ; aliâs hæreticos aliquos si proclamaverint,
aut

aut ex traditione Ecclesiæ Romanæ, esse probaverint, nihil proficiunt, sed principium petunt.

168. 2. Probat ex *D. August. l. 1. contra Epist. Parmeniani. c. 7. & in Epist. 166. ad Donatistas*, ubi plures recenset Impp. Christianos, qui severissimas leges tulerunt contra hæreticos: contra solum Julianum hæreticis favisse. Resp. 1. ad locum August. contra Parmenianum: illum non simpliciter esse accipiendum de omnibus hæreticis, sed restrictè tantùm de hæreticis Donatistis, quos supra probavimus fuisse seditiosos & scelerosos. Quare hic fit Elenchus causæ. Fuisse autem tales, jam ex præsentī loco amplius demonstramus. 1. à persona Parmeniani, qui Episcopus Donatistarum fuit. 2. à persona Ticonii, qui & ipse Donatista fuit, ad quem hæc Epistola scripta est. 3. à rebus, quæ hic tractantur, hoc est, sceleribus Donatistarum. Sic enim *c. 7. ibidem: Et si quid temporalis molestia passi fuerint per certissimum atq; rectissimum ordinem potestatum, cum ipsi privatis furiosorum agminibus multa graviora passim atq; quotidie, nulla regia, nulla Ecclesiastica lege committat: nos corporum persecutores vocant: se animarum interfectores non vocant, cum privata licentia nec corporibus parcant. Ibidem: Cur ergo ipsi, ubi possunt, templa subvertunt, & perfurores circumcellionum talia facere aut vindicare non cessant? an justior est privata violentia, quam regia diligentia, &c.*

169. Deinde legem affert de pœnis hæreticorum Doctorem 1. generalem, ut *vel ordinator Clerici, vel ipse ordinatus* denis libris auri mulctentur. Locus verò ipse quo impia separatio congregatur, redigatur in fiscum. Sunt & aliæ jussiones generales, quibus eis vel faciendi testamenta, vel per donationes alicui conferendi facultas adimitur, vel ex donationib. aut testamentis aliquid capiendi. Resp. 1. pœna hæc iis est inflicta, qui verè erant hæretici, & quorum hæresis ex Scriptura refutata est. 2. Non æqualiter

in omnes hæreticos, sed in hæresium seminatores sancita est hæc poena. 3. Non capitalis, sed pecuniaria tantum.

170. Quò ad locum *Epist. 166.* quem Bellar. objicit. 1. Constat ex inscriptione ad Donatistas scripta esse omnia. 2. Severiorem legem in illos latam esse propter scelera, quæ ibidem recensentur, præcipuè quòd *Posidium Episcopum* orthodoxum malè tractarent. Sic enim inter alia refert: *Ibat (Posidius) ad fundum Fugilinensem, ut nostri, qui illic erant, visitarentur, & audito verbo DEI, ad unitatem Christi, qui vellent, convertentur: cui ambulanti in via latronum more insidiati sunt, & quia in eorum insidias cadere non potuit, eum aperta violentia in fundo Livedensi penè vivum cum domo quò fugerat, incenderant.* 3. Inductione Exemplorum ibidem *August.* probat neminem violenter coactum esse ad fidem orthodoxam. Quare præsens locus pro crudelitate Esauitica nihil facit.

171. 3. Ex aliis probat, inquiens: Theodosius, Valentinianus, Martianus, & alii religiosissimi Impp. leges tulerunt in hæreticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exilio & verberibus, interdum ultimo supplicio mulctari voluerunt, ut patet *Cod. de hæreticis. l. Manichæos. l. Ariani. l. quicumque.* Qua ultima lege, quæ est Valentiniani & Martiani, jubentur occidi omnes, &c. Resp. 1. quòd inter poenas hæreticorum affert, exilium, verbera, mulctam pecuniariam: eo ipso fatetur, longè mitiorem in primitiva Ecclesia puniendi rationem fuisse, quàm in moderna Papistica. 2. Non diffitemur in quibusdam legibus 5. & 8. de hæreticis, ubi ultimi supplicii mentio fit, mortem naturalem intelligendam esse, secundùm textum expressum *leg. 21. ff. de poenis.* Sed poena illa non omnes rapuit hæreticos, fatente Bellarmin. lege enim Valentiniani & Martiani (inquit Bellarm.) jubentur occidi omnes, qui *prava docere tentant: qui verò eos docentes audiunt, aliquot*

quot libris auri mulctari. Justinianum, ait, ex finibus imperii ejecisse, dato prius ad deliberandum spacio, qui hæresibus renunciare nollent. 3. Distinguimus inter hæreticos. In allatis enim legibus vocabulum hæretici latissimè accipitur, pro omni eo, qui Christianam fidem non amplectitur, ut ipse titulus legum præ se fert, de Arianis, Manichæis & sic Paganis, qui ad imam scelerum nequitiam pervenerunt: Nos *de hæretico propriè sic dicto* hoc loco quaerimus, h. e. eo, qui per verum baptismum in Ecclesiam DEI receptus est, quare sunt aliena quæ afferuntur. Adde, si produceretur alia lex, ubi capitalis supplicii mentio fieret, in promptu statim esset responsio, quod constitutiones illas interpretari licet, non de amissione vitæ, h. e. ultimo supplicio, sed de deportatione, quæ & ipsa capitale supplicium dicitur. *l. 28. in pr. ff. de pænis. l. 2. de publ. judiciis. l. 103. de verb. sign. l. 13. de bonor. poss.* 4. Notum est contrà ex historiis, dictos Imp. omnibus Christianis libertatem religionis concessisse, cujus rei exempla supra attulimus, th. 102. & seqq. Est igitur homonymia in verbis legis, vel enim de naturali vel civili morte loquuntur: Posteriori modo accipiendas esse asserimus.

172. Et ut hoc modo sumamus vocabulum, hæ nos amplius movent rationes. 1. Humanius est, cum in verbis legis disertè nihil est expressum, de deportatione potiùs seu morte civili hoc supplicium interpretari, quàm de morte naturali & amissione vitæ, ut pœnæ, quò ad ejus fieri potest, benigna interpretatione molliantur, & ad minimum accommodentur, *l. penult. de pænis, & l. semper in obscuris. de reg. juris.* 2. Quia sic minus incurrit in illud Christi, *Matth. 13. sinite crescere zizania.* Debent enim leges humanæ conformari ad legem D. 3. Quia pœna hæc cum Ecclesiastica congruit, quod enim hîc est excommunicatio, id in imperio politico est bannum seu exilium. 4. Quia neque exempla dari possunt, quæ ostendunt, ul-

tra hunc gradum pœnæ in hæreticos sævitum fuisse, quod docet exilium Arii & aliorum hæresiarcharum.

173. 3. Loco Bellarmin. ex jure Pontificio probat hæreticos esse occidendos, ex cap. ad abolendam & cap. excommunicamus. Resp. 1. Bellarm. petit principium, hoc enim in quæstione versatur: an rectè Canones ita statuunt? Idem ergò dicit Bellarm. ac si propterea sentiat, hæreticos esse occidendos, quia Paulus V. ita decernat. Id quod nos ridemus, quandiu id, quod dicit, ex Scriptura non probaverit. Deinde Canones dicti, cum praxi Esauitica non conveniunt per omnia. 1. Enim requirunt, ut quis manifestè in hæresi deprehensus sit: multi autem per inquisitionem pereunt, qui in hæresi non deprehensi, nec hæreseos convicti sunt. 2. Canones tantùm volunt, ut relinquatur secularis judicis arbitrio, non ut prodatur illi. 3. Pro qualitate facinoris pœnam delinquenti expectandam volunt: Esauitæ una & eadem pœna omnes involvunt, sine discrimine aut qualitate delicti, modò quis non sentiat cum Papa, ad ignem ducunt.

174. 4. Loco probat suam sententiam ex Conciliorum definitione. Verùm unicum tantùm affert, *Constantiense illud*. Resp. Sed hoc est illud, quod suprà monuimus, crudelitatem hanc puniendi hæreticos originem traxisse ex infano illo conciliabulo malignantium, cùm antea in Ecclesia DEI inaudita esset hæc ratio puniendi. Quare iterum petit principium Bellar. Similis farina est, quod addit: Leo X. articulos Lutheri damnavit, quærimus nos juréne, an injuria? Quin si rectè Concilium Constantiense & Pontificii hætenus statuerunt, hæreticos esse occidendos, sequetur, omnia Concilia & Pontifices antea in definiendo errâsse, quoniam mortis sententia nunquam lata est de hæreticis, quam moderni Papicolæ adeò colunt, ut pro articulo fidei habeant.

175. 5. Loco Bell. descendit ad Patrum authoritatem.

tem. Inter hos 1. loco adducit Cyprianum, lib. de exhortat. Martyrii c. 5. Postquam, ait, probavit ex *Deut. 13.* necandos esse Pseudoprophetas, subdit: Si hoc in testamento veteri fiebat, nunc id magis faciendum esse. Resp. 1. Generaliter, quod ad omnia Patrum testimonia dictum volumus, quæ Bell. hic allaturus est: Patrum scripta non sunt regula fidei. Quare si Patrum scripta afferantur, Scripturæ consona, recipimus: quòd si verò Scripturæ opponantur, nefas esse ducimus, humanam auctoritatem D. præferre. In primis igitur hic ad Scripturam respiciendum, quæ N. T. hæreticos non vult esse occidendos.

2. Supra *thes. 91.* D. Cyprianum pro nostra sententia disputantem adduximus, ex quibus constat, illum execrari furorem hunc & tyrannidem in conscientias hominum.

3. Est Elenchus testimonii. Hæc enim sunt verba D. Cypriani hoc loco: *Quòd si ante adventum Christi circa DEUM colendum & idola spernenda hæc præcepta servata sunt, quantò magis post adventum Christi servanda sunt, quando ille veniens, non verbis tantum nos hortatus, sed & factis, passus & crucifixus, ut nos pati & mori suo exemplo doceret.* Quibus verbis hortatur Christianos, ne patiantur se à vero cultu DEI ad idola abduci, sed constanter in agnitione DEI persistant: nihil autem tradit de occidendis hæreticis, nec uno verbulo tangit.

3. Pugnat explicatio Bell. cum scopo authoris, hoc toto loco, quia Cyprianus non armat Christianos contra hæreticos, sed Christianos confessores contra persecutores Ecclesiæ (*ut titulus ipse monet*) exhortatur ad patientiam & constantiam professionis, etiam martyrio coronandæ. Idque facit exemplo Christi. Quare scopus authoris est, exhortari Christianos, ne propter tyrannidem mundi deficient à vera fide in Christum, argumento sumpto à gravissima comminatione, *Deut. 13.* ubi DEUS ita irascitur idololatri, ut nec vivere eos velit. Argumentum Cypriani tale est: Si DEUS in V. T. gra-

viter irascebatur iis, qui vero Deo relicto ad idola defece-
runt, quantò magis in N. T. At in V. T. graviter iratus est
talibus. Ergò etiam in N. T. Non autem hinc sequitur.
Ergò quomodo iram suam Deus in V. T. declaravit; eo-
dem etiam in N. T. Sic enim sibi ipsi contrarius esset D. Cy-
prianus, confer *th. 91.* Quare præsens locus sententiam
Bell. non juvat, quin probat potius, eam esse Ecclesiam
veram, quæ persecutionem patitur, non autem quæ infert:
& sic Papistas esse illos tyrannos idololatrias, qui Ecclesi-
am Dei persequuntur, ad idola cogunt, quorum tyranni-
dem & patienter & constanter nobis ferendam esse, hor-
tatur Cyprianus.

176. 2. Objicit Hieronymum in illud ad *Gallat. 5. 9.*
Modicum fermentum totam massam corrumpit. Igitur inquit
Hieronymus (inferente Bellarmino) *scintilla statim, ut ap-
paruerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicina remo-
vendum, secunda putridæ carnes, & scabiosum animal à cau-
lis ovium repellendam.* Ergò hinc concludit Bellar. *Hæretici
sunt occidendi.* Resp. 1. Hieronymus cum Hieronymo con-
ferendus est, nos suprâ *th. 94.* humaniorem mentem illi ef-
se probavimus. 2. Si verba hæc Hieronymi sint, dubito,
in Basileensi Editione hæc tantùm reperio ad verba illa,
modicum fermentum: *Ne quis diceret, cur omnes corripis,
dum non omnes erraverunt? ostendit, quòd modicum malitiæ
fermentum totam possit Ecclesiam & massam suam à veritate
corrumpere.* Præter hæc nihil habet. 3. Posito, quòd alle-
gatio Bellarmino maneat integra, an non manifestissimum
Elenchum consequentis commissurus est, quando ab ex-
tinguenda, removenda, ressecanda & repellenda hæresi,
tanquam à genere argumentatur ad speciem, inferendo.
Ergò per mortem, gladium, ignem! Sunt enim plures mo-
di extinguendi, removendi, repellendi & ressecandi hære-
ses, quos Christus & Apostoli tradunt & præscribunt. Ve-
rùm idem planè accidit lupis Pontificiis, quod lupo illi, de
qui-

quibus in fabulis legitur, qui cum ad literas discendas traditus esset magistro, hicque alphabetum proponeret, idque frequenter repeteret, ille neglectis literis & voce magistri, tantum agnum intendit, ad eumque cupidissime respexit. Ita non minus lupi Pontificii ubicunque vel in Scripturis vel in Patrum lectione mentio fit de cavendis, non salutandis, semovendis, ressecandis & repellendis hereticis: illicò irruendum, rapiendum, jugulandum esse colligunt pro lupina sua natura! cum si humanioris pectoris essent, multa alia saniora media superesse intelligerent, quibus caverent, repellerent, ressecarent, &c.

177. Affert authoritatem D. Augustini ex lib. 2. retractat. ad quod supra in exceptionibus respondimus, th. 136. & seqq.

178. 4. Leonem affert in Epist. 91. ad Turbium c. 1. ubi ait: Meritò Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem ejus ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosterrent. Et profuit diu ista districtio Ecclesiastica lenitati, quæ etsi Sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Hactenus Bellar. ex Leone. Resp. 1. allegatio est impertinens, non enim loquitur de ense propriè dicto, sed de ense metaphorico legum publicarum sc. quòd coercendi & prosternendi sint legum terrore: quem admodum non dubium est, leges illas magis in terrorem datas esse, ut homines ab hæresibus revocarentur, quàm in poenam, ut ita rigidè observarentur. Atque sic factum est (dicente Leone) ut multi metu corporalis supplicii retracti sint ad spirituale remedium, cum antea quasi impunè ex lenitate Ecclesiasticorum hæreses disseminassent.

Ubi notamus *in verfum studium Ecclesiasticorum*, quòd hi tempore Leonis cruentas ultiones refugerunt : nostro tempore planè in lupos abierunt : adeo que non abhorreant à cruore & sanguine, ut magistratus sub periculo salutis ad fundendum sanguinem exhortentur, si videant eos non in suam sententiam inclinare, & pari crudelitate accensos esse erga eos, qui in religione à se discordant. 2. Fit Elenchus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim loquitur Leo in genere de hæreticis, sed *de priscillianistarum fœtidissima sentina*, qui tenebris paganitatis immerfi sunt, quod speciatim probat author multis capitulis, quibus furores eorum describit, atque *cum Sabellianis, Patripassianis, Samosatensis & Manichæis* communes errores habuisse ostendit : & quod amplius est, *Magos* fuisse dicit, qui per magicarum artium secreta & Mathematicorum vana mendacia religionis fidem morumque rationem in potestate dæmonum & effectu syderum collocarent : imò plasmationem humanorum corporum Diaboli figmentum esse dixerunt. & semina conceptionum opera Dæmonum in mulierum uteris figurari. *Hactenus descriptio hæreticorum ex Leone.* Quod igitur à monstrosis istis hominibus Bell. concludit ad Lutheranos, absurdissimus est. 3. Notamus *crimen falsi*, quod committit Bell. in hac allegatione. Ex media enim Leonis sententia hæc verba expunxit, quæ causam severioris pœnæ reddunt. Cùm enim Leo dixisset, *Impp. publicarum legū ense hæreticos prosternere*: sequitur immediatè : *Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulq; D. jus, humanumq; subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset.* Post hæc verba sequitur : *Et profuit diu ista districtio, &c.* Hinc constat, quare dicta pœna in tales hæreticos lata sit, quia scil. publicæ pacis perturbatores fuerunt, omnem curam honestatis auferentes. Ab his

his igitur ad hæreticos pacificos argumentum non concludit. 4. Non simpliciter de omnibus hæreticis, etiam monstrosis illis leges Impp. concludunt, sed de hæresiar-
archis seu hæresium Doctoribus, quod Leo ipse declara-
rat addito vocabulo: quòd *cùm tali professione vivere non
licuerit.*

179. 5. Affert optatum Milevitanum l. 3. cum ait: *Videtis à Moyse, & Phinee, & Helia, & Macchario similia esse
facta, quia ab omnibus unius DEI vindicta processit.* Resp. 1. Status quæstionis hic attendendus est: quæritur, an Mac-
charius orthodoxus rectè fecerit, quòd duos ex Donati-
stis occiderit? Respondet Optatus Milev. primùm *negan-
do*, quod solus, Ecclesia nesciente illud fecerit, quare non
laudat. 2. *Excusando*: tum quia (ait) *vobis provocantibus fa-
ctum est*: tum quia *singulari aliquo zelo* factum, ad exem-
plum Sanctorum Moyfis, Eliæ, &c. Ex singulari autem
hoc facto, quod Ecclesia non probat, legem sancire de
puniendis hæreticis, Bellarmino non licet. Tum circum-
stantia facti excusat, quòd provocantes in tumultu fortè
occisi fuerunt, quemadmodum suprà probavimus, Dona-
tistas seditiosos fuisse, atque tumultus sæpè dedisse.

180. 6. Objicit Gregorium l. 1. Epist. 72. ad Gen-
nadium Exarchum Africa, qui laudat eum, quòd magno
Zelo hæreticos armis persequeretur, & hortatur, ut pergat.
Respons. 1. Non agi hic de hæreticis simpliciter considera-
tis, quatenus hæretici sunt: sed de hæreticis facinorosis &
seditiosis, de quibus inter nos non est disputatio. Quòd
autem de talibus loquatur, patet 1. ex inscriptione Epistol.
ad Aphricæ præfectum, quæ sedem præbuit Donatistis,
hæreticis illis seditiosis. 2. Quia nominatenus perstrin-
git Donatistas, ubi inter cætera ait: ipse verò primas non
passim sicut moris est per villas, sed in una juxta eorum e-
lectionem civitate resideat, quatenus adeptæ dignitatis
meliori ingenio resistēdi, Donatistis possibilitas disponatur.
3. Non

3. Non tantum in hac Epistola commendat praelia Ecclesiastica, sed in sequenti 73. ad eundem Africæ præfectum, cum ait: *futuras DEO largiente victorias, non carnali providentia, sed magis orationibus prævenitis, fit, ut hoc in stupore veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed DEO desuper largiente descendat.*

181. 7. Objicit Bernhardum *Serm. 66. in Cantica*, ubi ait: *Melius proculdubio gladio coercerentur illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos trajicere permittantur, &c.* Resp. 1. est Elenchus divisionis, Eo enim modo hic Bellar. Bernhardum allegat, quo Sathanas Scripturam, mutilatè sc. Sic enim verba immediate præcedentia habent: *Hæretici palam pietatē astruentes, & pro ea mortē subire parati: nec minus parati inferre, qui astabāt. Itaq; irruens in eos populus, novos hæreticis suæ ipsorum perfidiæ Martyres dedit.* Approbamus zelum, sed factum non suademus, quod fides suadenda est, non imponēda. His subjicit jam, quod Bellar. affert: *quanquam melius proculdubio, &c.* Argumentum igitur Bernhardi est ex loco comparatorum: videri quidem melius coerceri hæreticos gladio, præcipuè si non à tumultuante populo, sed à legitimo magistratu fiat. Verum factum hoc non esse suadendum, rationem affert generalem, quæ & apud populum & magistratum locum habet, quia *fides suadenda est, non imponenda.* Qua sententia S. Bernhardi illis simul respondeamus, qui dicunt, experientiam docere, multos hæreticos violento medio ad veritatis agnitionem conversos esse. Quibus nos regerimus hoc D. Bernhardi, quod licet nobis videatur accommodatum esse remedium, vi cogere homines ad religionem veram, tamen non suadendum esse, tum quia hoc est contra naturam fidei, ut Proverbio dicitur, *Amor & religio cogi non possunt*; tum quia nullum habemus de hac re præceptum, ut faciamus; sed contra, ut non faciamus. 2. Quod aliqui hoc modo ad veram

fidem

fidem conversi dicuntur, illud per accidens factum est, quia post persecutionem informati, errores suos spontè abjecerunt. Itaque hoc non coactioni armorum ascribendum, sed subsequenti informationi, quæ semper locum habet. Reliquorum conversio hypocritica magis fuit, quæ Deo placere non potuit.

Præterea locus hic præfens D. Bernhardi est impertinens, non loquitur enim de quibusvis hæreticis, sed, ut ex toto hoc sermone patet, *de iis, qui sunt hypocritæ, qui verbis pietatem simulant, factis abnegant: qui oves sunt habitu, astu vulpes, actu & crudelitate lupi: qui non virtutes colunt, sed vitia colorant quodam quasi virtutum minio: superstitionis impietatem nomine religionis intitulant: qui turpitudinem in solis existimant reputandam uxoribus: qui prohibent nubere: abstinere à cibis, quos D E V S creavit ad percipiendum cum gratiarum actione: qui fingunt se amore castitatis prohibere nuptias, cum magis turpitudinis fovende & multiplicande adinvenierunt.* His enim verbis D. Bernardus suos hæreticos describit, hoc est, ut uno verbo reddam, non loquitur Bernardus de quibusvis hæreticis; sed qui sunt Doctores Pontificii. Tum in specie etiam meminit Manichæorum. A Manichæis autem ad Christianos argumentari quis feret? *Hactenus igitur falsò & frustrà Bell. Patres allegavit.*

182. Tandem Bell. ex rationibus conatur probare, hæreticos esse occidendos. I. Argumentum est: Si hæretici excommunicari jure possunt: ergò etiam occidi. At prius est omnium iudicio. Ergò & posterius. Connexionem propositionis probat, quia excommunicatio est major pœna, quàm mors temporalis, quare hæc tanquam minor rectè infligatur. Resp. Consequentia non procedit. Quæstio enim est de pœna temporalis, an hæretici sint gladio puniendi? Argumentum & probatio est de pœna spirituali, quia excommunicatus est ex Ecclesia Dei, quæ pœnæ sunt toto genere differentes. Valet igitur argumen-

atum in suo genere, Exempli gratia, in pœnis temporali-
bus: qui meritus est rotam vel crucem tanquam pœnam
graviorem, is etiam gladium, restim, virgas meritus est,
tanquam pœnas leviores. Ut si jure damnatus est senten-
tia Regii parlamenti discipulus Jesuitarum Parisiensium,
Johannes Castellus, quo crudeli supplicio afficeretur,
quoniam Jesuitarum instinctu nefario crimine parricidii
se obstrinxit, vitæ serenissimi Regis Galliaë Heinrichi IV.
insidias struens: potuisset etiam paulò leniori torqueri.
Si propter idem scelus Jesuitæ digni habiti sunt ex regno
Galliaë ejici, & proscribi ad æternam memoriam, juxta for-
mulam sententiæ in eleganti pyramide exsculptam &
Luteriæ positam: digni omninò etiam fuissent ieniori pœ-
na, ut virgis publicè hinc inde cæderentur, tanquam pa-
triæ proditores, & parricidii patriæ authores. Ita si parricidæ
illi in Anglia superiore anno ex instinctu Papæ & con-
silio Jesuitarum missi, eorumque indulgentiis confisi, ut
sereniss. Regem Angliæ, juniorem Principem, tum omnes
totius regni proceres, pulvere tormentario supposito uno
momento tollerent, crudeli morte necati sunt: potuerunt
illi etiam simpliciter rota vel igne tolli, & in fumos extol-
li. Sic vicissim in pœnis spiritualibus, qui meritus est pœ-
nas infernales in summo gradu, is etiam purgatorii (*ut fa-
bulosè cum Papistis loquar*) vel minoris gradus pœnam in-
fernalem meritus est. Ita qui excommunicationem com-
meritus est, is etiam fraternam correptionem exprobra-
tionem & pœnitentiam publicam. Verùm non licet sal-
tum facere ab uno genere in aliud, & confundere pœnam
Ecclesiasticam & civilem, ut dicas, meritus est pœnam
spiritualem, ergò etiam temporalem, mortem. 3. Adde
quod Bellarmin. l. 3. de Eccles. milit. cap. 6. §. 8. agnoscit,
posse aliquem injustè excommunicari (*id est Ecclesiam posse
errare*) & talem quidem animo esse in Ecclesia, quòd suffi-
ciat illi ad salutem. Quæro jam, si talis excommunicatus
civiliter

civiliter etiam puniatur, an non Ecclesia talem damnans ad mortem, dupliciter erret? 4. Repugnat praxi Apostolicæ. D. Apostolus excommunicavit incæstuosum, *1. Corinth. 5.* sed ita, ut pro eo intercedat, quò ad societatem Ecclesiæ acta pœnitentia recipiatur. Hanc consuetudinem Patres in primitiva Ecclesia semper observârunt, & hodiè in Christianis Ecclesiis locum habet. 5. Si excommunicati jure possunt occidi, omnes Jesuitæ jure occiduntur, quia in reformatis Ecclesiis excommunicantur, & quidem secundùm regulam verbi DEI.

183. 2. Opponit experientiam. 1. Conqueritur, non aliud esse remedium coërcendi hæreticos. 2. Profert pœnas in vet. Ecclesia usitatas, hoc est, excommunicationem, pecuniariam mulctam, exilium. Sed quia istis pœnis Ecclesia nihil proficiat, accessisse etiam mortis supplicium. Causas affert 1. quia (ait) *hæretici excommunicationem contemnunt, & fulmina frigida esse dicunt.* 2. *Mulctam pecuniariam non curant.* 3. *Nec DEUM nec homines verentur, quia sciunt, non deesse stultos, qui illis credant.* 4. *Si in carcerem aut exilium mittantur verbis & libris, seducunt alios.* Concludit igitur his verbis: *solum remedium est, mittere illos maturè in locum suum.*

184. Resp. Fallit & fallitur multipliciter Bell. 1. alia remedia accommodatiora mox superesse ostendemus. 2. Quòd tribus istis pœnarum gradibus Pontificii moderni contenti non sunt, manifestam faciunt secessionem à vet. Ecclesia, de cujus consensu nunquam non gloriantur, sed crudelitate superare contendit, addens sanguinarium illud remedium, quod agnoscit, in tota antiquitate locum non invenisse, cum tamen non minus periculosissimæ hæreses extiterint omni tempore, quæ aliis remediis sopitæ fuerunt. 3. Christianos omnem excommunicationem contemnere falsum est. Viget enim passim in Christianis Ecclesiis excommunicatio: non spernitur. Quòd

autem contemnitur à Romano Pontifice denunciata, non sine gravi causa fit, quia is non legitime hanc potestatem sibi sumit, nec ex verbi Dei præscripto, sed ad stabiliendum suum primatum nefarie eâ abutitur, dum eos excommunicat, qui non agnoscunt ipsum pro capite & sponso Ecclesiæ, qui carnibus vescuntur certis diebus, & alia similia, quæ in S. literis nusquam prohibentur, ideoq; merito tanquam frigida & bruta fulmina censentur, quæ auram feriunt, non conscientiam tangunt. 4. Posito, quòd maxime contemnant, si tamen justè excommunicati fuerint, sarcinam suam ferent tandem: licet hîc rideant & contemnant, in coelis tamen ratum est & ferit fulmen illud. 5. Contradicit Bell. suis Collegis, qui magnam vim ascribunt excommunicationi. Inter alios, vide *Windeck. de hæres. extirpandis. f. 400.* ubi dicit, *Vi excommunicationis hæreses elumbes concidere, & earum assertores languescere ac perire.*

185. Quòd ait, hæreticos nec DEUM nec homines curare, nimis indiscretè loquitur. Hæretici enim non sunt in numero infidelium, seu gentilium habendi, attestantibus Bell. & Doctorib. Papisticis, quare verisimile non est, eos omnem cultum D. negligere. Si sub hac calumnia comprehendat August. Confessionis socios, mendacii arguit omnes scriptores Pontificios, tum seipsum, qui uno ore testantur, imò conqueruntur, nos adeò magnificere DEI verbum scriptum, ut nec pilum ab eo recedere velimus. Jam verò magnificere DEI verbum, & non curare aut timere DEUM, sunt opposita; quorum uno affirmato, alterum negari oportet.

186. Quòd verò addit, ideò pertinacius nos insistere nostris dogmatibus, quia sciamus, non de futuros *stultos*, qui nobis credant. Resp. 1. magna est calumnia, qua Jesuita Monachus hic effrenis, tot viros bonos, Principes, Reges, Impp. insectatur, quod omnem modestiam excedit.

PARCIUS

Parcius ista viris, tamen exprobare memento! 2. Si Bell. intelligit illos stultos; de quibus Apostolus loquitur, *1. Cor. 1. 2.* quòd Deus elegerit, quæ sunt stulta secundum mundum, ut pude faceret sapientes. Concedimus totum. Sic enim, promissionem D. habemus, labores nostros nunquam fore inanes in Domino. *1. Cor. 15.* At verò stultitia Dei sapientior est, quàm homines. *1. Cor. 1. 18.* Et in hac significatione largimur Pontificiis titulum sapientiæ, eruditionis & excellentiæ; de qua dicit Apostolus: *Perdam sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentum rejiciam, ubi sapiens? ubi scriba? ubi disputator hujus seculi? Nonne infatuavit DEVS sapientiam hujus mundi?* *1. Cor. 1. 19.* 3. quòd si per stultos intelligit insanæ mentis homines: unde, quæso, tanta sapientia illis stultis est, ut non possint illis Pontificii Doctores tanta sapientia inflati viri resistere idoneis argumentis? Annon sequetur potius Papisticos Doctores hos stultos esse, qui non possint adversariis suis respondere, eosq; legitimè convincere? Videatur Colloq. Ratisbonense.

187. 5. Ait: nec exilium, nec carcerem comprimere hæreses (intellige Lutheranos) illas posse! Resp. Miraris tu hoc ad eò Bellar. magister in Israel? solutio nobis est in promptu: *Verbum DEI non potest vinculis ligari. 2. Tim. 2. 9.* *Christus vult dominari in medio inimicorum suorum. Ps. 110.* *Nec portæ inferorum prævalebunt adversus Ecclesiam illam, quæ Christi doctrinam purè profitetur, Matth. 16.* Quin dico vobis, Esauitæ abstinete ab hominibus istis, illosque sinite, quoniam si est ex hominibus opus hoc, dissolvetur: si ex DEO est, non potestis dissolvere, ne quando & DEO repugnare reperiamini, *Act. 5. 39.* Sed obriguerunt Esauitæ: illis robur & æs triplex circa pectus est, quare conclusionem hanc ex officina carnificis reponunt: *Ergò solum remedium est mittere illos maturè in locum suum, h. e. ad focum, ad ignem!* Ut enim verberaturus canem, invenit baculum,

aut lapidem: sic Esauitæ ad flammam & ignem maturandum esse prætendunt, quia alia remedia non supersint. Nos alia monstrabimus.

188. 3. Objicit idem: Falsarii omnium iudicio merentur mortem. At hæretici sunt falsarii verbi Dei. Ergo merentur mortem. Resp. 1. sophisticatur Bell. argumento. 4. terminorum. Propositio loquitur de falsariis politicis, de quibus conceditur. Assumptio de falsariis Ecclesiasticis sive spiritualibus, quare sunt scopæ dissolutæ & confunduntur ea, quæ sunt maximè distinguenda. 2. Non negamus, falsarios verbi obnoxios esse supplicio mortis, sed æternæ: cum illis, qui dicturi sunt: annon in nomine tuo prophetavimus Domine? quibus Dominus respondeat, non novi vos, discedite à me, *Matth. 7. 21.*

189. 4. Ratio affertur ex *August. Epist. 50.* ubi ait: gravius est hominem non servare fidem Deo, quàm foemina viro: sed hoc morte punitur. Ergo & illud. Resp. *Ἀνεκλόγητος* est hæc illatio. Hæresis est gravius delictum adulterio. Ergo graviori etiam poenæ politicæ debet subijci? Gravitas enim cuiusque delicti ex suo foro iudicanda est; & pro qualitate delicti est adhibendum remedium vel spirituale vel seculare.

190. Tandem annectit Bellar. coronidis loco causas tres, ut fortius constringat, propter quas ait, ratio docet, homines occidendos esse. Eas ex Medicorum libris affert *libro Galeni, cui titulus est, quòd mores animi corporis temperamentum sequantur.* 1. Causa est, ne mali bonis noceant, hinc iustissimè (ex Galeno dicit) occiduntur homicidæ, adulteri, latrones. 2. Ut paucorum supplicio multi corrigantur. 3. Quia ipsis hominibus sæpius utile est occidi, quando spes revalescentiæ non est. Hæ rationes (ait Bell.) omnes suadent hæreticos esse occidendos, quia 1. nocent proximis magis quàm ullus pirata vel latro, quando quidem non corpus, sed animam occidunt. 2. Plurimis prodest eorum

eorum supplicium, quia alii absterrentur ab hæresibus propter vitæ periculum: quod probat experientia, præcipuè illis locis, ubi viget *inquisitio*. 3. Quia hæreticis obstinatis beneficium est, ut tollantur, antequàm plures hæreses excogitent. Resp. 1. Valdè absurdus est Bell. in gravissima hac quæstione Theologica, probationes conquirere ex Medicorum libris. Ostendit sanè ipsi non cordi, sed joco esse sanguinem humanum! 2. Fallit Elencho comparationis, quæ enim Galenus Medicus de hominibus facinorosis, homicidis, adulteris, latronibus, politicè reis, disputat: illa violenter trahit ad alienum forum, ad homines Ecclesiasticè reos, aliàs scelere puros, vitæq; integros, adeoque bonos, & Reipub. utiles cives, in quos magistratus jus gladii non habet, quòd si tamen Ecclesiastici in illis inveniunt, quod damnent, utantur suo gladio spirituali! Quare hætenus procedit argumentum ex Galeno: Si illi, qui politicè peccant poena digni sunt, etiam illi, qui Ecclesiasticè. Sed non eodem modo, quoniam delicta non sunt unius generis. 3. Obstat huic crudelitati Scriptura, Christus & Apostoli. 4. Nemo sanè Catholicus de hæreticis planè desperat, ut in suis individuis considerantur: tandiu enim de hæreticis desperandum non est, quandiu illis spirare contingit. At est hic prætextus lupinus, qui nihil intendit, nisi agnum, agnum!

191. VI. Membrum quæstionis secundæ sequitur. Hætenus Esauiticam crudelitatem ex Scripturis refutavimus: tum ex antiquitate & aliis rationibus ostendimus, non esse legitimum modum tractandi hæreticos, si usq; ad mortem in eos sæviatur. *Non verum modum exponemus coercendi & extirpandi tales.* Eum hoc modo ostendimus: Is modus animadvertendi in hæreticos citra controversiã in N. T. est verus, qui à Christo, Apostolis & orthodoxa antiquitate est in N. T. usurpatus, vel in sacris probatus & præceptus. Nam quid ab istis Doctorib. veritatis nisi verum proficisci possit?

fit? At is modus animadvertendi in hæreticos à Christo, Apostolis & orthodoxa antiquitate est præceptus, probatus & usurpatus, qui consistit 1. in docendo. 2. excommunicando. 3. relegando seu incarcerando. Ergò hi veri modi sunt animadvertendi in hæreticos, & non alii.

192. Primùm igitur (ut nihil dicamus de iis mediis, quæ Scriptura nobis commendat, ut oremus pro hæreticis, *Iacob. 5. 16. 19. 1. Tim. 2. 1. iisque beneficiamus, 2. Tim. 2. 24. Gal. 6. 10. Luc. 10. 33. 37.)* medium est *docendi*; sumptum ab officio ministrorum Ecclesiæ, quod est instituere & docere homines falsa religione imbutos, quod fit per prædicationem verbi, quando pius magistratus, expendens officii sui gravitatem, quòd utriusque tabulæ Decalogi custos à DEO constitutus, sincerum DEI, verbum, & Sacramentorum usum in Ecclesia publicè tradere & vigere laborat. Hujus rei fundamentum ponit Christus, *Matt. 28. 19.* cum ait: Exeuntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. *Marc. 16. 15.* Hoc præcepto & medio insistentes Apostoli, Evangelii prædicatione repleverunt totum mundum, *Col. 1. 6.* Et Patres hoc solo medio Ecclesiam propagari voluerunt, ut constat ex suprà allegatis. Sed ais, quid cum illis agendum, qui Evangelium non recipiunt, Apostolos non audiunt, eos persequuntur! Respondet Christus *Matth. 10. 13. Luc. 10. 5. 14.* In quamcunque domum intraveritis, dicite pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin minùs, ad vos revertetur. In quamcunque civitatem autem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite, etiã pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, exergimus in vos: tamen hoc scitote, quòd appropinquavit in vos regnum DEI. Quod præceptum Christi discipuli diligenter observârunt, vide exemplum practicum, *Act. 13. 5.* Hoc uno medio Ecclesia inter omnis generis hæreses & persecutiones gravissimas sustentata semper emerfit, & omni-

aliter hoc Christi præceptum accipiunt, ac si dixisset : *Ite, necate, urite, trucidate omnes gentes!*

193. Deinde specialiter hoc incumbit magistratui, si quos intelligit in sua politia & ditione versari, qui hæreses & falsa dogmata spargunt, aliosque seducunt, ut in illos inquirat, eos benignè audiat, atque per ministros Ecclesiarum informari curet: obstinaces arguat, & contradicentes ex verbo DEI convincat, ut omnia ad unitatem Ecclesiæ spectent & ædificationem.

194. Hæc vera & propria esse media extirpandi hæreses tradit *Vindeck in Prognostico f. 157.* Qui, licet aliàs omnimodo hæreticos tollendos esse statuatur, ut supra allegavimus (adeoque turpiter sibiipsi contradicit) tamen vi veritatis adactus, hoc loco ita scribit: Magnis precibus implorandum est D. auxilium adversus Pseudoevangelicæ (ostendat verò nos aliud habere Evangelium, quàm Christus & Apostoli!) Professionis imperium, exemplo Davidis, qui DEUM sæpè rogavit, ut impiorum potentiam atque superbiam infringat. Tum (ait) celebranda est sincera Pontificia doctrina, ex præscripto Concilii Tridentini, & sectariorum imposturæ orbi terrarum patefaciendæ, ut *detectis terroribus*, & agnita veritate, homines pro nihilo ducant, & planè contemnant, quicquid ab illis profectum fuerit. Et addit: *Hæc ratio est longè omnium aptissima ad minuendam illorum potentiam: Viribus & armis non semper proficitur, & nonnunquam fit, ut adversarii belligerando magis etiam confirmentur, quod in Belgio accidere videmus, &c.*

195. Quòd si malum ita latè pateat, ut totas Ecclesias & provincias perumpat, pius quilibet magistratus ejus loci Synodum cogere potest, & legitimam causæ cognitionem suscipere: cognitam ex verbo DEI decidere, & errores refutare debet, per idoneos homines, præcipuè Ecclesiasticos. Summus magistratus pro rei necessitate Concilium liberum indicere potest, ad exemplum Christianissimo-

nissimorum Impp. Ecclesiæ primitivæ. Quod remedium, fuit commodissimum & saluberrimum, ubi hæresium illi Doctores coràm & liberè auditi fuerunt, & ex verbo DEI refutati & convicti, quod & nostro tempore fieri, omnes boni in votis habent, quibus veri DEI cultus & pietas cordi est.

196. Præmissis hoc medio docendi, arguendi & convincendi hæreticos ex Scripturis. II. Accedit *excommunicatio* (nisi subsecuta fuerit pœnitentia & conversio hæreticorum) seu separatio ab Ecclesia DEI & veris ejus membris; quâ tanquam spirituali gladio ab Ecclesia refecantur, idque eo fine, ut tales pudore suffusi, videntes se à cæteris Christianis deferri & negligi, tandem aliquando ad Ecclesiæ gremium redeant. Hoc medio usi sunt Patres in tota antiquitate, contra omnium temporum hæreticos, Arium, Nestorium, Eutychem, & alios horribilium errorum authores, quoties tales in medium prodierunt. Quod illi præsertim observare debent, qui se filios Ecclesiæ veteris genuinos esse gloriantur, ne quando factum ipsum gloriationis nullitatem arguat.

197. De hoc 2. gradu loquitur Christus, *Matth. 7. 15.* Cavete vobis à Pseudoprophetis; & Apostolus, *Rom. 16. 17.* Obsecro autem vos fratres, ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt, & declinetis ab eis: ad *Tit. 3. 10.* hæreticum hominem devita. Quem locum veteres Monachi, sive per malitiam sive ignorantiam depravârunt, ut per ellipsin, acciperent; hæreticum de vita scil. tolle, quasi dixisset: hæreticum occide. Ex quo falso supposito factum est, ut pro articulo fidei habitum sit dogma illud sanguinarium, de occidendis hæreticis. Sed fratribus illis ignorantia ostensum est ex græcis fontibus, Apostolum non loqui de ejusmodi devitatione, quæ fit per mortem, sed quæ est per conversationem nimiam eorum, qui hæreticam tenent doctrinam.

doctrinam, ne scil. per nimiam familiaritatem suos errores nobiscum communicent. Et in hanc sententiam *D. Iohann.* scribit in *Epist. 2. v. 10. Ne ave ei dixeris.*

198. Hæc præcepta ita pugnant cum praxi Papistica, ut consistere nullo modo posse quivis intelligat. Quos enim Christus & Apostoli volunt te cavere, vitare, non salutare, eos maximè vivere oportet, non enim propriè dixeris, sed absurdè, cavere, vitare, non salutare eum, qui in vivis non est, qui Hispanica Inquisitione sublatus est!

199. III. Si amplius progrediantur hæretici, ut jam excommunicati, alios quoque in suos errores pertrahant, vigilans magistratus, tanquam custos Ecclesiæ, tales seductores *ad carcerem damnare potest*: reliquum populum seductum, per industrios & idoneos Ecclesiæ ministros docere & ad Ecclesiam reducere, quod remotis turbatoribus facillimum erit. Sermo enim DEI vivus est, & efficax, & penetrantior quovis gladio utrinque incidente, & pertingente usque ad divisionem animæ ac spiritus, &c. *Hebr. 4. 12.*

200. IV. Si carceris pœna ad Reipub. vel provinciæ alicujus formam non satis accommodata esse videatur, restat ultimum remedium, *exilium seu relegatio*, qua pœna Christianissimi Impp. in Arium, Nestorium & alios hæreticos à Conciliis legitimè damnatos animadvertunt, atque sic ipso facto ostenderunt, explicationem legum à se conditarum in hæreticos de capitis damnatione, quòd non de corporali, sed politica pœna, hoc est, deportatione & exilio intelligendæ.

201. Et huc usque progressæ antiquitati, Christianissimis Impp. & Conciliis, *D. Augustinus* testimonium perhibet, quòd nemini bono placuerit ad mortem usque sævire in hæreticos: Et hætenus etiam omnes bonos *D. Augustino* suffragari non est dubium, qui modò cor-

datè S. Scripturam expendat, atque ipsius facti atrocitatem consideret.

202. His igitur mediis inniti: hoc gradu subsistere & acquiescere tutò potest pius magistratus & debet, nisi contra præcepta Christi & Apostolorum, eorumque praxin, imò & contra laudatissimæ antiquitatis consuetudinem aliquid statuere velit, quod *pietas dissuadet & ratio.*

203. Sicque legitimè rem administrans magistratus, & pietatem declarat suam erga DEUM: amorem ac clementiam erga subditos: utrinque officio suo rectissimè fungitur, & custos utriusque tabulæ Decalogi verissimè dicitur, in quo augustissimo nomine triumphum ponit.

204. Quòd si tamen præter votum & expectationem non omnes hærefes, quemadmodum & vitia & peccata alia extirpare, & è medio populi DEI tollere potest, legitimis modò dictis mediis & curis: meminerit eam esse conditionem Ecclesiæ, ut nulla arte, nullo labore fieri possit, ita repurgare aream Domini, ut non & paleæ misceantur. Quandoquidem nunquam ager Domini ita fertilis est, quin non zizania ferat: nunquam reticulum Ecclesiæ tam felix, quin non bonos & malos pisces concludat: quòd nunquam grex Domini ita præstans, quin non inter oves Christi, hirci, lupi, reperiantur.

205. Quinimò Sp. Sanctus pium magistratum de gravissimis & Antichristianis hæresibus præmonet diligenter, quas ita invaliduras prædicit in Ecclesia Dei (ne existimet, sibi omnia evellenda incumbere) ut veram Ecclesiam, tanquam pusillum gregem contrario modo oppressuræ sint, adeò, ut antè adventum Christi ultimum, aboleri non possint. *2. Thess. 2.* Oportet enim esse hæreses *1. Corinth. 11.* Quare pium magistratum & pios omnes Christus consolatur: se sc. velle, tandem glorioso suo adventu, aream suam purgare *Matth. 3. 12.* Malos pisces à bonis separare, *Matth. 17. 47.* Oves ab hircis & lupis distinguere,

guere, *Matth. 25. 32.* Inter veros & falsos Prophetas judicare, *Matth. 7. 23.* Triticum in horreum suum per Angelorum ministerium colligere: Zizania verò æterno igni comburendum tradere, *Matth. 13. 30.* tanquam solus iudex, scrutator cordium, & Dominus conscientiarum, cui soli potestas data est iudicium hoc faciendi. *Iohan. 5. 22.* Tum enim quilibet suam mercedem capiet: justus sua fide vivet: suæ quisque villicationis rationem reddet; adeoque omnis servus proprio suo Domino stabit & cadet, iusto DEI iudicio.

Q U Æ S T I O I I I .

De Fide data hæreticis, num sit servanda?

206. Ostendimus hætenus, quinam sint hæretici. 2. Illos quatenus tales sunt, minimè esse occidendos. 3. Loco specialis jam quæstio nobis oritur: An Fides data hæreticis servari debeat: an verò non obstante fide data, sint turbandi, occidendi?

207. Et sperandum erat, quòd si maximè tanta esset Rom. Antichristi contra sinceros Evangelii Confessores (quos Lutheranos vocant) tyrannis, ut audire nollet æquissimas & solidissimas eorum defensiones, quibus ostendunt, se non esse hæreticos. 2. Si maximè tales essent, tamen ob solam hæresin non esse trucidandos: saltem eò tyrannis illa non sit progressura, ut ritè datam hæreticis fidem servandam negaret, cum fidem semel datam etiam infensissimis hostibus, maximè barbari populi sanctè inviolateque servandam duxerint.

208. Ast ut satis superque se proderet Antichristiana impietas, quidam fideles Antichristi ministri non tantum verbis ac scriptis asserere, sed & factis truculentissi-

mis ostendere non sunt veriti, datam hæreticis fidem, etiam si juramento sit confirmata, tamen non esse servandam!

209. Nos ad impietatem illam Antichristianam retundendam, primò verum quæstionis sensum explicabimus. Deinde luculentis rationibus probabimus, sententiam Papistarum esse absurdam & extremè impiam. Tum, quæ pro ea pallianda afferuntur, detegemus.

210. AC I. quidem ut intelligatur, quid sit, quando quæritur: An hæreticis data Fides sit servanda: duo tenenda sunt. 1. Fidem hîc non sumi Ecclesiasticè, pro fide historica, quâ credimus vera esse, quæ à D E O revelata sunt, de qua *Jacob. 2. 19.* nec miraculosa, de qua *1. Cor. 13. 2.* nec justificante, de qua *Hebr. 11. 6.* Sed politicè tantùm fides hoc loco consideratur, de fidelitate in servandis promissis & conventis, quæ aliàs dicitur *pollicitatio, stipulatio*, qua in significatione Cic. ait: Fides est dictorum & factorum constantia & veritas.

211. 2. Præsupponi in proposita quæstione, ut promissa & conventa facta sint secundùm illa requisita, quæ à J C. ad validam promissionem requiruntur. 1. Ex parte promittentis requirunt, ut possit se obligare, & ut hoc faciat consultò & voluntariè. 2. Ex parte promissarii, ut promissionem accipiat, quia pactum est duorum consensus & conventio. Obligatio enim non nascitur, nisi ex mutuo duorum consensu. *l. 3. ff. de pollicitat. l. 1. ff. de pactis.* 3. Ex parte rei promissæ, ut res sit licita & honesta, si secus fiat, promissio est irrita, pacta enim, quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est. *l. pacta. C. de pactis.*

212. Hinc nascitur status controversiæ: An hæreticis fideliter servanda sint promissa & conventa, quæ secundùm validorum promissorum & conventorum requisita facta sunt: an verò ex eo præcisè non sint servanda, quia

quia hæreticis sint facta? prius nos tenemus: Papiſtæ poſterius.

213. Ne injuriam Papiſtis nos facere videamur, ex ſuis ipſorum ſcriptis ſententiam hanc in lucem protrahimus. Sic enim inter alios *Jacob Simancha Episcopus Pacensis de Catholicor. institut. c. 46. n. 52.* ait: ad pœnam & odium hæreticorum pertinere, quòd fides illis data, ſervanda non ſit, non obſtante juramento. Rectè igitur in Concilio Conſtantiensi contra fidem datam Huſſum & Hieronym. Pra-genſem crematos, & Canonem conditum fuiſſe: Nulli hæretico fidem ſervandam. Et addit: Sæpè id à nobis dictum, necesse est tamen inceſſabiliter iterari, & tandiu non tacere, quandiu pacis illud nomen obtenditur.

214. *Conrad. Brunus, l. 3. c. 15. de hæret.* ponit quæſtionem ſpecialem, de tali pace religionis, qualis eſt in Imperio Rom. ex conventionibus Anni 1552. 1555. ſecundum tractationem Paſſavienſem. Quærit enim, an rata ſint pacta, conventiones & leges: quibus hæreticis pax & ſecuritas ea conditione promittitur, ut, qui eos offenderint, pœna fractæ pacis teneantur? & negat, quæ ibi ſancta fide geſta ſunt, vim habere. Rationem affert, quia cum hæreticis Catholico nulla pax eſſe poſſit: ſed eſſe conditionem iniquam & blaſphemam, qua hæreticis permittitur, ut liberè doceant, cum omnia jura D. & humana tales extinctos velint, ut ipſe inſanit.

215. *Franciſc. Burghardus* in *Autonomia ſua* ſcribit, quòd, licèt opinata ejuſmodi pax apud plures & diverſas religionum ſectas reperiatur, neque tamen commendarı illud poſſe, multò minùs ſervari conſtanter, quia hæc ſit pax impia. *Alibi*: Lutherana religio in Concil. Tridentino damnata eſt, & confeſſores illius hæretici declarati ſunt, quare nihil reſtat, ut magiſtratus hoc loco metuant, ſe contra Deum facere, ſi novationes iſtas reſcindant & puniant.

216. *Andreas Fabric. p̄fat. in harmon. Aug. Confess.* Imperatorem Romanum gladio cingit, ut cum aliis Principibus exequatur Concilium Tridentinum, quia utilis sit illa sanguinis profusio.

217. *Melchior Glöselius in duello Glöseliano* magistratum sub periculo salutis teneri ait, ut hæreticos funditus perdat. f. 4. Et constat, quantum hic homo laborarit nuper in violanda pace jam olim data & confirmata illustribus statibus Austriæ. Non minùs sc. se opposuit Evangelicæ Ecclesiæ, quàm Sathanas ille in Persia restitit Angelo DEI, *Daniel 10. 13.*

218. *Cardinal. Hosius ad Reg. Polonie Epist. 197. 202. 210.* scribit: Quòd licèt juramento obligatus sit ordinibus Poloniæ, æquè se defensurum, & eodem loco habiturum, & Catholicos, & hæreticos: tamen nulla ratione teneri ad præstandum ea, quæ promiserit.

219. *Consentit Concilium Constantiense:* imò scaturigo hïc est, unde cæteri rivuli impurius fluunt: *Vide Tomos Conciliorum, sess. 19. Concil. Constantinens.* Cùm enim *sess. 14. ibidem*, Patres de securitate sibi optimè prospexissent, ad eò, ut, qui vel minimum eorum postulatis & privilegiis contravenerit, banno imperiali, & diris omnibus subja- ceat: tamen iniqui æstimatores illi *sess. hac 19.* aliis præstare nolunt, quæ volunt, ut sibi faciant homines. Quare §. quòd non obstantibus salvis conductibus, &c. ita scribunt: Præ- sens S. Synodus ex quovis salvo conductu per Imperato- rem, Reges & alios seculi Principes, hæreticis, vel de hæ- resi diffamatis, concesso, nullum fidei Catholicæ, vel ju- risdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impe- dimentum præstari posse seu debere, declarat, quo minùs dicto *salvo conductu non obstante*, liceat judici competen- ti & Ecclesiastico, de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & aliàs contra eos debitè procedere, eosdemq; punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare perti-

pertinaciter recusaverint, etiam si de salvo conductu confisi ad locum venerint iudicii, aliàs non venturi: nec sic promittentem, cum fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.

220. Hæc omnium insanorum Pontificiorum sententia est (non sanorum) præcipuè verò omnium Jesuitarum, testem appello conscientiam eorū. Quare miramur vehementer Becanum, Jesuitam Moguntinensem (*in Disputatione, An fides data hæreticis sit servanda*) conqueri, hanc sententiam per calumniam Pharisaicam nos suis affingere, quòd quemadmodum Christo objecerunt Pharisæi coràm Pilato: Hunc invenimus prohibere tributa dare Cæsari, cum tamen publicè contrarium docuisset: sic nos de Jesuitis & Pontificiis doceamus, illos negare, fidem servandam esse hæreticis, cum tamen voce & calamo protestentur, & aliud nihil doceant, quàm fidem datam esse servandam hæreticis. *Hæc enim nostra sententia est (inquit Becanus) quòd fides hæreticis data sit servanda, modò promissa, pacta & conventa sint, aliàs licita, f. 2. & 10.*

221. Si privatim & verè ita sentiret Becanus, hoc ipsi testimonium daremus, quòd ille unus ex omnibus Jesuitis nostri temporis humanitatis & integritatis nomen mereatur, atque hanc laudem sibi suisque jure se acquisivisse illo scripto putat. Unde *in questionibus Miscellaneis de fide hæreticis servanda in præfatione gloriatur his verbis: Demonstratum fuit superiore Disputatione, non minùs hæreticis, quàm Catholicis in rebus aliàs licitis & honestis fidem integram ac illibatam servare oportere. Adversarii, qui longè aliter nos sentire arbitrabantur, pleriq; mirati sunt, & se hæctenus falsò persuasos esse, ingenuè confessi!* Verùm, quæ sit publica omnium sententia, ex jam allegatis constat: tum quæ privata sit & etiam ipsius Becani, colligitur ex ipso disputationis illius cursu, non esse aliam, quàm reliquorum sociorum. Ita enim habet, f. 88. *Questio est, an si Princeps vel ma-*

gistratus Catholicus, de alterutra libertate paciscatur cum hæreticis, debeat servare fidem, necne? Et respondet: de hac re ita statuendum est, libertatem religionis esse illicitam legi D. repugnantem, Reipub. perniciosam, non debere præcipi, approbari aut introduci ab ullo Principe, &c.

Hinc cōcludo ex sententia Becani: *Pacta & promissa, quæ non sunt licita & honesta, non sunt servanda, ex th. 120. Assumo ex thesi præsentis: Pactum libertatis religionis Lutheranis factum est illicitum, inhonestum, repugnans legi D. Ergo non est servandum; Tum etiam illicitè data est fides Lutheranis, secundùm Becanum, quia à superiore magistratu, ut ille putat (Papa) data non fuerit. Vide dictam Diss. f. 122. in quest. Miscell. f. 38. Quare monstri aliquid alit Becanus, idem sentit, quod alii, sed aliud scribit, ut fallat ex composito.*

222. Itaque transponit nobis statum quæstionis, qui hac ratione duplex fit. 1. Quæritur inter nos & reliquos Pontificios & Jesuitas; *An data fides sit servanda hæreticis?* quod illi negant ex supra allegatis: nos affirmamus. 2. Quæritur inter nos & Becanum privatim: *An fides data sit Lutheranis licitè & honestè?* Nos affirmamus, ille negat. De priori statu, tanquam causa publica prius dicendum: suo loco etiam de sententia Becani.

223. Hic si agendum nobis esset cum ingenuo & cordato Ethnico viro, verbis opus non haberemus. Illi enim sincerè & religiosè sive amico sive hosti fidem datam servandam censuerunt. Prodeat unus & alter. Tu Vergiliane dic: *En dextra fidesq;!* Tu M. Regule tuo ad Carthagenenses reditu doce: *Fidem hosti etiam servandam esse, cum certissimo vitæ discrimine!* Verùm, quia nobis negotium est cum perfidis Jesuitis, suiq; similibus, quibus tantum pietatis & sinceritatis non est, quantum Ethnicis illis; jam nobis laborandum. O tempora! o mores! juramenti, dictorum, pactorumq; religio major apud Gentiles fuerit, quàm apud Christianos?

224. Sed age hujus rei indignitatem hoc Syllogismo exponimus. Quod est 1. Contra D. legem. 2. Pœnæ D. comminationem conjunctam habet. 3. Exemplis Sanctorum contrarium est. 4. Legi naturæ & communi populorum consensui. 5. Et sanis rationibus repugnat: id Christiano homine indignum est. At non servare datam fidem, est contra D. legem: pœnæ D. comminationem conjunctam habet: exemplis Sanctorum est contrarium: legi naturæ & communi populorum consensui: tum sanis rationibus repugnat. Ergò non servare datam fidem est homine Christiano indignum.

225. I. Contra legem D. esse probo. Quia pactum illud inter Pontificios & Augustanæ Confessionis socios habet vim juramenti. Hoc autem est invocatio nominis DEI, quâ petimus, ut DEUS sit testis de nostro animo, quòd non velimus fallere homines ea in re, de qua agimus, & simul petimus, ut DEUS sit vindex, si fefellerimus. Violato igitur pacto & juramento gravissimè in 2. præceptum peccatur, Exod. 2. 7. Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum, nec enim habebit in fontem Dominus eum, qui assumerit nomen DEI sui frustra, Levit. 19. 12. Accedit, quòd finis omnis controversiæ debet esse jurisjurandi confirmatio, Hebræor. 6. 16. quod fieri non potest, si data fides violatur.

226. Et quamvis non semper interveniat expressum jusjurandum, non tamen minùs data fides est servanda. Hic enim locum habet illud *D. Hieronymi ad Celantiam*: *quæ dixeris, putaveris jurata esse.* Et dictum Christi, sermo vester sit, est, est, non, non. Et illud Decalogi. Non dices falsum testimonium. *Psalms. 15.* Ille tantùm habitabit in tabernaculo DEI, qui veritatem in corde suo loquitur, & qui non egit dolum, qui jurat proximo, & non decipit. Confer *Psalms. 34. 14. Proverb. 12. 22. cap. 25. vers. 14. Sapient. 1. 11, Syracid. 2. 14.* Hinc tanta cum religione Sp. S. fœ-

dera inter homines describit; Dominus qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quòd nostra promissa faciemus, *Judic. 11. 10. 1. Sam. 20. 12. c. 23. 18.*

227. Excipiunt hîc Jesuitæ, & perfidiæ Studiosi: Fœdera sunt quidem semper servanda omnibus, sed non hæreticis. Respondeat hîc 1. pro nob. *T. Livius. l. 9.* Perfidos nunquam causa deficiet, cur pacto non stent: semperque aliquam fraudi speciem juris imponent. 2. Allegata fundamenta sunt generalia, & obligant omnis conditionis & religionis homines, cum omnes homines sint sibi mutuò proximi, quod negare non possunt Papistæ, nisi velint *Φαρισαιζειν, Luc. 10. 3.* Etiam inter diversæ religionis socios fœdera religiosè consistere, exemplis probat S. historia, *Gen. 21. 23. Abrahamus cum Rege Abimelech paciscitur, Gen. 26. 29. Cum eodem etiam Isaacus.* Sic enim ait: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus: Surgentesque manè sibi juraverunt mutuò. Fœdus fuit inter *Jacobum & Labanum idololatram, Gen. 31. 48.* Tumulus iste (aiens) erit testis inter me & te hodie: intueatur & judicet Dominus inter nos, quando recesserimus à nobis. Fœdus est inter exploratores *Israël & Rahab.* Nunc ergò jurate mihi per Dominum: illique jurarunt *Jos. 2. 12. c. 6. 22.* Fœdus erat inter *Israëlitas & Gabaonitas Cananeos*, qui licèt manifesto dolo populo DEI imposuissent, tamen integrè servatum est, *Jos. 9. 6. 15. 19.* Et fœdus hoc DEO gratum fuisse, insigni miraculo testatus est. Cùm enim Josua & Principes, Gabaonitas tanquam confœderatos contra hostes defenderent, DEUS non tantùm victoriam concessit, sed miraculosè cursum Solis inhibuit, quo tempus ulciscendi esset hostes Gabaonitarum, jam suos. *Jos. 10. 13.* Fœdus fuit *Israëlitarum cum viro Cananeo, Judic. 1. vers. 24.* Fœdera fuerunt inter Reges *Juda & Israël, Assyrios, Aegyptios & alios.* Fœdera fuerunt inter *Judeos, Romanos & Spartanos. Maccab. leg. 1. cap. 8. 21. cap. 12. 7.*

228. Hinc tale pactum, quod est inter fidelem & infidelem *DEI ipsius juramentum dicitur Ezechiel. 17. 19.* Vivo ego quoniam *juramentum meum* (נֶלְתִּי) quod sprevit, & *foedus meum* (בְּרִיתִי) quod irritum fecit, ponam in caput eius. Unde graviter *D. Hieron.* in hunc locum ait: *Non considerandum CUI, sed PER QUEM juraveris. Multò enim est fidelior inventus ille, qui propter nomen DEI tibi credidit, & deceptus est, te: qui per occasionem, D. Majestatis, hosti tuo, imò jam amico es molitus insidias.*

229. Quare turpissimum est effugium Papisticum, Jesuiticum, hæreticis datam fidem non esse servandam: pacem inter Catholicum & hæreticum esse non posse, & nihil hoc est, nisi latebras quærere perjurio. Hinc detestanda est impietas Paparum, quando Imppp. Reges, Principes & subditos à juramento & data fide liberare non verentur, cùm contra *D. præceptum* nulli creaturæ dispensare liceat, sed quicumque hoc præsumit, effertur adversus omne, quod dicitur *DEUS* ac numen, hoc est, ipso facto probat, se esse Antichristum illum, filium perditionis, *2. Thes. 2.*

230. II. Fidem non servare inter diversæ religionis socios, conjunctum est cum poena *D.* Sic enim dicit *DEUS* de pacto regis Assyriæ & Sedeciæ, *Ezech. 17. 16.* qui dissolvit pactum meum, nunquid effugiet: Vivo ego, dicit *Domini*, in medio Babilonis morietur. Confer *2. Paralip. 36. 2.* Cùm Saul perverso quodam zelo suo tempore Gabaonitis fidem violâisset à Josua & Principibus antea datam, publica calamitate scelus hoc punitum est, fame scilicet trienni, & expiatum est morte 7. filiorum Saulis, atque sic *DEUS* propitiatus est terræ. *2. Samuel. 21. 3.* Cùm Rex *Antiochus* foedus iniisset cum Judæis, illudque fregisset, *l. 1. Maccab. c. 6. 60. 62.* mox ipse cum suis trucidatur à *Demetrio*, *ibidem, c. 7. 2.* *Nicanor* mittens ad Judam *Maccabæum* verbis pacificis, sed dolosis. *1. Maccab. 7. 27.* Ipse cum

exercitu miserè periit, in pœnam perjurii, ibidem. 5. Memorabile est exemplum punitæ perfidiæ Papisticæ. *Uratisslaus* Poloniæ & Hungariæ Rex, pactus inducias cum Turcarum Sultano: sed cùm ex Consilio & jussu Papæ Eugenii IV. Internuncio Cardinale S. Juliani foedus hoc rescinderetur, & bellum renovaretur, hincque Sultanus rei indignitate commotus, in ipso discrimine prælii has voces clarissimè ad Christum emitteret (*Christe si DEUS es, ut Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta jurata bello me invadunt*) subito fortuna affulsit: non tantùm fortiter exercitum Christianorum prostravit: sed & ipsum Regem! Atque sic eventus ostendit, quòd Papæ & Patribus Concilii sui perfidis placuerat, justo DEO summè displicuisse.

231. III. Fidem datam non servare, pugnat cum exemplis & praxi Sanctorum, qui religiosè semper foedera habuerunt, exempla vide in *th. 227.* & obvia sunt in historiis plurima.

232. IV. Legi naturæ repugnat, & communi populorum consensui sive Christianorum sive Gentilium. Naturæ enim lex est, quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. At nemo est sive Catholicus sit, sive quis alius, qui non maximè velit fidem sibi datam servari. Quare vicissim hoc aliis benignè præstandum est. Unde *Cic. dicit, 3. Off. Nulla res vehementius Rempub. continet, quàm Fides.* Hac enim sublata ipsa justitia tollitur, quæ est fundamentum fidei. Imò & ipsa societas humana evertitur, ut *Aristot. in Rhetoricis* habet: *Infirmatis (inquit) violatisque pactis, tollitur inter homines commerciorum usus. Item, non perjuretis, timentes & D. ultionem, & humanam infamiam!* Ex hoc naturæ lumine Gentiles illustrati, perjuriiis capitis pœnam imposuerunt, ut referunt historiæ. Et de jure civili perpetua infamia comitatur hominem perjurum.

233. Hinc inter bonos receptum est proverbium illud: *Dictum, factum! Germana fide!* Hujus exempla accipe illustrissima. Literis salvi conductus D. Luthero imperiit Augustis. Imp. Carolus V. ut tuto Vorræatiam ire & ad suos redire liceret. Confusus DEO & literis Impp. Lutherus Vormatiam venit, Anno 1521. & cum causam suam egisset coram Cæsare & Concilio Principum, atque constantissimè asseruisset, se non cessurum esse à sua doctrina, nisi erroris ex immoto DEI verbo convinceretur: nonnulli, qui Constantiensis Concilii decretum secuti, putarunt fidem Luthero minimè servandam esse: Verùm saniorum & plurium Principum vota sanguinariæ huic sententiæ vehementer restiterunt, & ostenderunt, quòd fidem datam violare *ad Germanici nominis labem atq; dedecus sempiternum spectet*, *Sleid. l. 3.* Imò ipse Imperator cum perfidiæ quidam studiosi, Papicolæ, ipsum ad violandam fidem datam plurimum sollicitarent, importunos illos hoc responso tandem rejecit: *Fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.* Vide *Tholos. l. 8. de Repub. c. 8. sect. 10. Becan. disp. de hæret. f. 112.* O vox præclara! solo Principe, solo Imperatore, solo Germano Imperatore digna!

234. V. Repugnat etiam rationibus non servare fidem datam. Si enim i. gentibus & idololatriis est servanda fides, etiam hæreticis servanda est, quia hi cum fidelibus sunt conjunctiores, utpotè cum quibus unum verum DEUM agnoscunt, què illi non. At prius est, ut suprà ostendimus, & experientia testis est, fœdera inter Christianos & Turcas esse: inter Judæos & Papam Rom. Quoties enim Pontifex ipse Maximus (sc. filius perditionis) sacris initiat, accipit ab ipsis Judæis fidem, eosque religionis suæ institutis summa cum libertate frui patitur, referente *Bod. l. 5. de Repub. c. 6.* In societatem fœderis sic assumptis, salvum conductum præstat, non tantùm in suis regionibus, sed & alibi

alibi negotiari, peregrinari, securè ludere, blasphemare Christum, & omnia licet. Quare nisi insani essent Papicolæ, cum hæreticis etiam pacem colere deberent; maximè verò omnium, si fides data intervenerit, nisi crudelitatem illam à Sp. Sancto damnatam, novo scelere, *perfidia*, cumulare videri vellent.

235. 2. Si virtutes illæ, ex quibus oritur obligatio servandæ fidei, in promissis & conventis æquè ubique nos obligant, sive versemur apud fideles, sive apud hæreticos & infideles: consequitur, fidem etiam hæreticis datam servandam esse. Posita enim causa necessaria, ponitur etiam effectus ejus. Atqui prius est. Nam obligatio valida oritur 1. ex virtute veritatis, quæ habet locum in omni promissionum genere, gratuita sc. onerosa & jurata, ut tùm sincerè & non fictè promittamus, tùm opere præstemus, quod promissum est. 2. Ex virtute fidelitatis, quæ itidem requirit, ut quod promisimus, opere præstemus; & in omni promissionis genere locum habet. 3. Ex virtute justitiæ, quæ locum habet in promissionibus & contractibus onerosis, & requirit, ut unicuique tribuamus, quod suum est. 4. Ex virtute religionis, quæ locum habet in promissione jurata, & postulat, ut Deo debitam exhibeamus reverentiam & cultum, quæ de rebus honestis & licitis jurantes affirmavimus, vide supra in definit. juramenti. Jam quod dictæ virtutes ubique nos obligent, hinc patet. 1. quia nusquam licet mentiri. 2. Jus alterius violare. 3. Injustitiam committere. 4. Perjurum esse, dictante hoc ipsa naturæ lege.

236. 3. Quibus fidem dare jus fasque est, iisdem datam frangere nefas est, hæc enim invicem sibi sunt consequentia. Valet hîc regula Logicorum: Causarum corruptentium semper contraria est natura cum suo effectu: & effectus cum causa. Quare si licitum & honestum est, fidem dare, illicitum & inhonestum est, frangere, ex natura op-

ra oppositorum. Atqui hæreticis aliquando saltem (*faten-
tibus Papistis*) dare fidem jus fasque est. Ergò nefas est fran-
gere. Assumpt. probat Jesuita *Becan. in Disput. de fide data
hæret. c. 10. f. 89.* ubi ait: *Si autem commode impediri non possit,
nisi cum majori damno aut malo Reipub. aliquo tempore tolera-
ri posse hæreticam religionem: & si hoc modo toleretur, & in pa-
ctum deducatur, fidem servandam esse.* (Accipe tamen hæc
cum glossa Papistica: Si Papa quasi superior magistratus
consenserit,) & f. 104. *Si Princeps vel magistratus Catholicus
paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, quam
sine majori detrimento impedire non potest, sine dubio fides ser-
vanda est. Unde natum est illud interim, Toleramus, Tem-
porisamus, quæ mora Jesuitis nostro tempore est intolerabi-
lis: dies unus seculum illis videtur.*

237. 4. Inter quos juris alicujus communio est, in-
ter eos obligatio contrahitur, *l. quod attinet. 32. ff. de reg. ju-
ris. l. servi. 14. ff. de obligat. & act. l. naturaliter. 13. ff. de condict.
indeb.* Atqui inter verè dictos Catholicos & hæreticos in-
tercedit juris communio. Ergò inter verè dictos Catho-
licos & hæreticos obligatio contrahitur, & per conse-
quens: fides hæreticis data servanda est, quia obligatio est
juris vinculum, quo necessitate astringimur rei alicujus
solvendæ. *Imper. in princip. Institut. de obligat.*

238. Si Papistæ aliis propter religionis diversitatem
fidem servare non possunt, neque illi vicissim Papistis ser-
vare poterunt: atque sic omnia plena erunt scelere, perfidi-
dia, proditione & tumultu, ut *D. Chrysof. ait Homil. 47. in
Matth. c. 13. Si trucidarentur hæretici (absq; fœdere pacis) bellum
orbi inferretur, sup. th. 92.*

239. Contra ea, quæ huc usque attulimus, habent
perfidia studiosi, ut nobis objiciant. Sic enim argumen-
tantur: Juramentum, pactum, promissum, quod est con-
tra pietatem & honestatem, ipso jure est nullum. At tale
est promissum hæreticis (Lutheranis) factum. Ergò ipso
jure

jure nullum est. Et propterea pium ac honestum est, hæreticos etiam fide data occidere, trucidare.

240. Resp. ad Assumpt. 1. notando calumniam, qua perfidi isti homines infectantur omnes viros bonos, etiam Pontificios, Episcopos, Archiepiscopos, Principes, Electores & Imperatorem ipsum, qui tractationi huic interfuerunt, quos omnes tanquam summam majestatem impietatis & turpitudinis nomine proclamare, & ut canes allatrare non verecundantur, quasi illis opus fuisset perfidorum horum consilio, atque sine illorum voto res integra esse non possit. 2. Petunt adversarii principium, Lutheranos hæreticos dictitantes, quos tales esse, probare in æternum non possunt. Suprà nos ipsos Papisticos Doctores hæreticos esse ostendimus.

241. 3. Distinguimus inter pacem politicam & pacem Ecclesiasticam. Pax enim, quæ tum sancita est in imperio inter Papistas & August. Confessionis socios, non est pax Ecclesiastica, quæ securitatem præbet doctrinæ, h. e. quoquo modo docendi, disputandi. Sed liberum semper fuit Ecclesiasticis, sive Papistis, nostra scripta legere, refutare, oppugnare, voce & calamo se nobis opponere tanquam armis Ecclesiæ propriis; sive nostris, quemadmodum nos bellum Ecclesiasticum hoc semper Papistis movimus, & movebimus usque Pontificiam superstitionem extirpemus: aut illi erroris nos ex Scriptura reos facient. Non enim pax Ecclesiastica locum habere potest, quam salva veritate, *Zach. 8. 19.* quam si non obtinemus, debemus arguere, convincere & erudire eos, qui obsistunt, *2. Tim. 2. 25.* De hac igitur pace quæstio non est: sed de pace politica & vitæ securitate quæritur: an non politicam pacem, quam sanctè Principes & Imperator promiserunt, præstare nobis teneantur? Hic Christus ait, Beati pacifici: & Apostolus vult, ut cum *omnibus* pacem colamus, quantum in nobis est. Tùm & jus naturæ dictat, foedera

reliq

religiosè esse servanda, non proditoriè eludenda. Aliàs si datam fidem fregeris in causa licita & honesta, quomodo quæso pacatam reddes conscientiam?

242. Posito igitur, nos esse hæreticos, posito etiam, hæreticos occidendos esse: non tamen jus haberent in nos Pontificii propter intervenientem obligationem. Accedit, quòd Principes & Imperator utrinque habent rationem magistratus, adeò, ut Imperator non teneatur rationem reddere ob introductum falsum cultum, cum sui juris sint Principes & status, qui Imperatorem ideò elegerint, ut liberè suo jure uti frui liceat: non electuri, si pacta non servaturum præscivissent. Quòd si autem pactum hoc Pontificiis intolerabile est cum hæreticis, age sunt alia media propagandæ religionis veræ, & extirpandæ hæreticæ, ut suprà notavimus, sc. docendo, convincendo tollere hæreses, non perfidè trucidando homines. Ut enim veritas non opus habet mendacio ad sui confirmationem: ita perjuriis vera religio non ædificatur, sed potius destruitur & evertitur.

243. 4. Fidem datam inter hæreticos & Catholicos non esse servandam, pugnat cum praxi Pontificia. Suprà enim adduximus exempla, ubi Pontificii Doctores libertatem religionis iis in locis petierunt, ubi Confessio Augustana magistratus locum habuit. Si igitur libertas & pax inter has duas diversas Religiones esse non potest, quomodo libertatem aut pacem petierunt illi? Num voluerunt hoc, ut Lutherani violata pace illos opprimerent? Adde exemplum aliquod recentius: Rex Hispaniæ pacem tractavit nuper cum Batavis, hæreticis. Pax illa aut est vera aut dolosa. Si vera: cur igitur dicunt hæreticis non esse servandam fidem? Sin dolosa: Ergò proprio judicio Regē vestrum fraudis & doli arguitis, à quo stipendia accipitis vos Jesuitæ! Adde & hoc 3. Juliacenses Papistæ à celsissimis Principibus August. Confessionis Brandeburgensi & Palatino tanquam à suo magistratu religionis libertatem

postulant. Num ideò, ut detur tantùm fides, non ut ser-
vetur? quære tu hoc ex illis, negabunt, quod scio.

244. 5. *Concludo per absurdum Papisticum*: Omne
promissum, quod est contra pietatem & honestatem ipso
jure est nullum, non obligat. Atqui clandestina desponsa-
tio in casu matrimonii est contra pietatem & honestatem
(*fatentibus ipsis Pontificiis Doctorib.*) quia fit contra 4. præ-
ceptum, & legis naturæ judicium. Ergò ipso jure nullum
est, non obligat! Ô religionem Pontificiam, quæ se mutuò
convellit & destruit! *In casu matrimonii docent*: quod li-
cèt promissio piè non sit facta, *tamen quia facta, sit servan-
da*; qui est error crassissimus, in omnibus Consistoriis &
Ecclesiis reformatis explosus & ab omnibus piis damna-
tus. Hic autem *in negotio de pace religionis, dicunt non esse
servandam fidem, licèt centies datam & juratam*, quia repu-
gnet pietati & honestati. Scilicet ut stulti semper in con-
traria currunt, sic excæcati isti Doctores rectum dicunt
quod non est: & quod est, improbant: onera gravia ligant;
conscientias constringunt, excolantes culicem, camelum
autem glutientes, ut novi hi Pharisei ad vivum nobis de-
pinguntur, *Matth. 23.*

245. 6. Cum pietate pugnare, tolerare Augustanam
Confessionem probabunt Papistæ, si unicum errorem il-
lius demonstraverint ex Scriptura.

246. Quod autem sit res licita & honesta Luthera-
nis servare datam fidem, ex allatis rationibus paulò antè
demonstravimus, etiam confessione *Becanithes. 236.* qui-
bus adde verba *ibid. f. 104.* *Fides servari debet in omni pacto
licito & honesto. Atqui licitum & honestum est tolerare liberta-
tem religionis ad majus malum evitandum, & de ea toleranda
licitè & honestè pacisci potest Princeps Catholicus. Ergò si paci-
scitur fidem servare debet (scil. consentiente superiore Papa.)* Et
plurimi sunt viri boni etiam inter Pontificios, qui licèt
(suo zelo) valdè iniqui sint hæreticis, eosque rectè truci-
dari

dari censeant, tamen si fides data intervenerit, servandam sanctè esse volunt, confer *Tholosan. in Syntagm. juris. l. 33. cap. 4. & 7. Item de Repub. l. 7. c. 20. sect. 60. l. 8. cap. 8. sect. 9. & 10.*

247. Ex dictis hæctenus quivis cordatus intelligit, non humanam vocem esse, hæreticis non esse servandam fidem, sed Antichristianam à patre Diabolo instillatam, qui mendax est & homicida, *Iob. 8.* Cujus Antichristi adventus esse debet secundum operationem Sathanæ, cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus, & cum omni deceptione injustitiæ, *2. Thess. 2. 9.* cui cum omnibus mendacibus pars erit in stagno ignis æterni, *Apoc. 21. 8.*

248. Interea manentibus nobis Jesuitis, manet nobis vox Jacob & manus Esau. Quare ne sua laude Jesuitas privemus, tanquam Antichristianæ illius vocis sedulos præcones: nos in rei memoriam præmium hoc illis statuimus, ut si quid insigni perfidia geratur: **JESUITICA FIDE** fieri dicatur: quemadmodum antiquitus Pœnorum perfidia proverbio celebrata est, ut de gente illa præ cæteris perjurii & vanitatis nomine notata diceretur, *Punica Fide* aliquid gestum esse. Contrà verò omnes cordati Germani summa ope niti debent, ut avitæ virtutis memores de singulis dici possit, **GERMANA FIDE.**

Moribus antiquis res stat Germana cedit q̄!

249. Quæ sit communis Papistarum sententia de fide data hæreticis, & quàm sit absurda, huc usque vidimus. Accedimus ad alteram controversiam, quam nobis movet Becanus; *An fides data sit Lutheranis licitè & honestè?* Hoc enim modo datam fidem servandam esse, ipse fateatur ut jam sententiam illius audivimus, & contra reliquos socios adduximus. Quare probandum est nobis licitè & honestè datam esse fidem: illi, quod non.

250. Nostram sententiam probamus ex ipsa tractatione Passaviensi, ejusque confirmatione, quæ subsequuta est in Comitibus Augustanis: verba transactionis peculiari

scripto comprehensa, Anno 1552. hæc summam volunt:
Pax religioni usq; ad proxima Comitata dabitur, in quibus de ratione, hoc dissidium amicè componendi deliberabitur, vel per Concilium generale aut nationale, vel colloquium, vel communem imperii conventum. Sleidan. l. 24. f. 780. Chytraeus in Chron. Sax. l. 17. f. 510. Addita hac cautione, quicquid in Comitibus istis à communibus statibus unà cum Cæsarea majestatis ordinario presidio conclusum fuerit, in posterum & rectè & firmiter servetur, neq; in contrarium aliàve via diversum agatur. Hactenus verba decreti Passaviensis.

251. Videamus jam illius decreti publicam confirmationem in Comitibus Augustanis, Anno 1555. propter August. Confessionis doctrinam (verba decreti habent) religionem atq; fidem, Cæsar, Ferdinandus Rex, ceteriq; Principes ac ordines, neminem totius imperii, quocunq; modo violent, nec ad deserendam religionem suam, caeremonias atq; leges, quas in sua ditione vel jam instituerunt, vel posthac instituent Confessionis Augustanae socii, mandatis aut alia quaavis ratione cogant, neve contemnant etiam; sed hanc religionem illis liberam permittant, simulq; bona, facultates, vectigalia, possessiones atq; jura, sic ut pacatè possint eis uti frui. Dissidium quoq; religionis non aliis quàm piis, amicis & tranquillis rationibus componatur, Sleid l. 26. f. 856. Chytraeus l. 18. f. 335. Chron. Saxon. Hinc nos pro nostra sententia ita colligimus. Quod licitè & honestè, tanquam ab iis promissum, penes quos summa rerum potestas est; id maximè servari debet. At promissum Evangelicis Lutheranis factum tale est. Ergò maximè servari debet.

252. Quæro ego jam quid Becanus desideret in hac conventionem Cæsaris, Principum & statuum, quo minùs licitè & honestè facta sit? Directè quidem non respondet, sed obliquè proponit suam sententiam. I. exemplo contractus, quem facit duplicem, in disput. de fide data. f. 131. Aut enim Principes & Reges Catholici (inquit) contractum

Etum faciunt cum hæreticis in negotio fidei, religionis & rerum Ecclesiasticarum : aut in rebus civilibus & secularibus. In his simpliciter Principes agere posse concedit, si contractus jure civili sit validus, adeò ut nec Pontifex rescindere possit. In illis sic distinguit : Vel inscio Pontifice (tanquam sua opinione summo magistratu) contractus fiunt, vel conscio & consentiente. Si hoc, non posse Papam rescindere : si illud, posse vel confirmare contractum, si bonus ; vel irritare, si malus sit. Si quæram jam, an conventio illa inter Imperatorem & Principes sit bona ? negant omnes Jesuitæ, sic & ipse Becanus c. 9. f. 88. dicit esse impiam & perniciosam. Si pergam quærere, an inscio vel conscio & consentiente Papa data hæc sit libertas & pax, respondebit conscio, sed non consentiente, sed reclamante. Ideoque ipso jure esse nullam hanc conventionem, quoniam à Papa superiore magistratu (*scilicet!*) non sit hætenus approbata. Ex latebris sic in lucem protractus Becanus, sibi suisque similimus est ; atque idem sentit, quod reliqui, licet aliud dicere videri cupiat.

253. Quod non approbante & consentiente Papa promissum & pactum illud factum sit (quamvis consensus ipsius hic minimè requiratur) fidem apud nos non meretur. Quis enim credat Episcopos, Archiepiscopos & tot Principes sedis Romanæ filios, & vassallos obsequentissimos, aliquid in rebus Ecclesiasticis facturos, cujus veniam non prius à Papa, *Domino*, impetraverint? Quare quod tum nolens volens concessit, id nunquam indulsisse jam dissimulat.

254. Quod autem eadem sit sententia Becani & aliorum colligimus etiam exemplo salvi conductus, tanquam viva praxi: id proponit cap. 12. suæ Disputat. ubi distinguit. 1. saluum conductum, quod detur vel de jure communi, cum hac clausula (salva semper justitia) vel jure speciali
absolu-

absolutè & sine omni exceptione. Iohanni Husso saluum conductum de jure communi datum esse, ideoque salva justitia non potuisse dimitti. 2. Ideò (inter alia dicit) Hussum combustum esse, quia hæresin abjurare noluit, *f. 114.*

255. Resp. 1. cupimus afferri à Becano formulam salvi conductus ab Imperatore & Concilio dati. Quæ enim de hac clausula salvi juris & justitiæ dicit, illa Hieronymo Pragensi à Concilio data est, non Husso. 2. Constat ex historiis, Status Bohemiæ prius Hussum mittere noluisse ad Concilium, nisi plenissimè caveatur de ipsius securitate.

256. 3. Non fuisse autem Husso eo modo (de jure communi scil.) datum saluum conductum, vel potuisse etiam dari, probo. 1. quia Imperator Sigismundus admodum ægrè tulit, cum ei nunciatum esset, Patres illos Concilii præter jus salvi conductus à se dati, Hussum in carcerem misisse, quæ causa fuit ut datæ libertati restitueretur, quòd si autem clausulam eo modo accepisset Imperator, quo Patres, indignari non potuisset. 4. Clausula illa hic locum non habet, nihil enim commertus est Hussus, nec ullius criminis quidem accusatus, quam hæreticæ doctrinæ ab hæreticis, aliàs clausula suum habet locum in judicio civili, præcipuè apud facinorosos. Pugnare autem cum jure & justitia DEI occidere hæreticos, in quæstione secunda planum fecimus. Quare cum Concilium Constantiense non sine consensu Papæ institutum sit, & hoc quidem fine, ut primò schisma trium Paparum (hoc est, *trium capitum Ecclesiæ Vicariorum, quod monstrosum est!*) tolleretur, deinde ut hæreses sopirentur, quæ videbantur natæ esse ex doctrina Wicclefi & Hussi; adeoque Hussus ad Concilium invitatus, publicis literis instructus venit: insigni fraude & perfidia Hussum oppressum fuisse, quilibet homo candidus palàm dicturus est, quia saluus conductus datus est illi quatenus hæreticus judicatus est, atque sic liberè audiretur & si fieri potuisset, legitimis mediis ad doctrinam, Papisticam reduceretur.

257. Excipit Becanus, non perfidè cum Hussu actum, h. e. datam fidem ipsi servatam esse, licèt combustus fuerit. Probat dupliciter. 1. quia Hussus contra prohibitionem fuga elapsus sit, ideoque rectè puniri potuisse. Resp. 1. Salvus conductus periculum mortis non infert innocenti fugitivo, si quis videat præcipuè proditoriè secum agi, ut Hussus: maximè cum fidem datam Patres jam ante fregerunt, contra literas salvi conductus in carcerem coniecerunt, & vitæ nunc etiam insidiati sunt. 2. Si fuga potest esse causa mortis, cur non Papam Johannem in simile discrimen pertraxerunt, qui & ipse ex Concilio noctu aufugit, & captus in custodiam datus est? Verùm perfidis nunquam causa deest sui perjurii! verberaturus canem semper invenit baculum aut lapidem. Si candidè Becanus loqui voluisset, ideò combustum solum dixisset, quia hæreticus, cui fides non sit habenda vel servanda.

258. II. Rationem affert à distinctione magistratus, superioris ut Papæ & inferioris ut imperatoris f. 121. Quare licèt fides Hussu data sit ab imperatore, non possit tamen dici violata esse ab Imperatore, quia Imperator fecerit, quantum in se est. Rem sic proponit f. 113. *Ajunt adversariū (dicit Becanus) Hussu fidem violatam esse. Nego. A quo violata est? An à Patribus Concilii Constantiensis? At Patres illi fidem non dederunt. An ab Imperatore Sigismundo? Is dedit quidem sed non violavit.* Resp. 1. ut à posteriori incipiam, quam quæso narrat nobis fabulam Jesuita? an non similem illi, quæ fertur de duobus furibus, qui in furto deprehensi eoque inter se commutato jurarunt, alter, quòd non furatus sit, alter, quòd rem non haberet? Indignum sanè est viro candido ita ludere. Quæro ego an rectè & justè factum, quòd Hussus contra literas salvi conductus ab ipso Imperatore datas combustus sit? Respondet Jesuita, Imperator fidem non violavit; Papa non dedit. Si nostri Principes ita luderent

eum Jesuitis, sanè perjuri & perfidiæ crimen intentarent non sine acerbissimis maledictionibus.

259. I I. Fundamentum hujus fabulæ ponit in distinctione: magistratus superioris & inferioris. Sigismundum tanquam inferiorem magistratum, fecisse quod in se est, fidem non violasse, ideoque Hussu non amplius teneri obligatum: Papam autem tanquam superiorem magistratum (*si credere fas est*) Hussu condempnasse ad mortem. Quantum igitur Ecclesiastica jurisdictio præstantior politica, tantum etiam Imperatorem Papæ nihil præjudicare posse. Resp. I. Distinctionem jurisdictionis Ecclesiasticæ & Politicæ agnoscimus, & præstantiorem Ecclesiasticam esse dicimus, quia in rebus D. occupatur: illa verò in civilibus tantum. Verum diversa hæc genera non sunt confundenda. Quòd si inter limites suos Papa se continuisset, & Ecclesiasticam jurisdictionem exercuisset, tanquam pertinacem suæ causæ excommunicasset, illud æquissimè ferremus: atque sic haberet locum hic: jurisdictionem Politicam nihil præjudicare Ecclesiasticæ. At quod Concilium mortis sententiam in Hussu fert; & tanquam lictoris officio fungens in manus Politici magistratus tradit, eumque ad supplicium sumendum incitat: id jure reprehendimus, & suprà, inter alia ex jure Canonico etiam malè fieri ostendimus, thes. 115.

260. 3. Quod Papam & Concilium supra Imperatorem extollit, illiusque sententiam huic proponit in causa etiam Politica, quæ sanguinem humanam concernit, & saluum & conductum: ostendit Becanus se sui que similes, ex illis Prophetis esse, de quibus scribit Div. Petrus 2. *Epist. cap. 2. vers. 10.* Quòd carnem sequentes dominationem contemnant, audaces, præfracti, qui gloria præcellentes non verentur convitiis incessere. Hinc oritur disputatio de Monarchia Papæ, an illa debeant esse rata, quæ in Conciliis Imperii per concessionem Impp. & Principum fiunt.

Exem-

Exempli gratia : Si Comititia statuunt, Augustanæ Confessiononi pacem & libertatem dandam esse ! tales præfracti & audaces Pseudoprophetæ majestati illorum derogant, quasi nec Imperator quicquam statuere possit sine Papæ consensu : nec Principes ullo dato privilegio gaudere, sine nutu Papæ. Egregia verò ratio ! Quid nobis cum Papa ? quid Christo cum Belial ? Non illud jam est tempus (DEI gratia) quo Romanus Pontifex, Imperatores & Principes pedibus calcat, eosque ad oscula pedum suorum abjicit *Olim fuit !* Pacem ab illo nos non petimus, non volumus, oblatam ab ipso non accipimus. Nobis cum nostro magistratu res est in Germania : Papa suo modo agat in Italia & Hispania cum suis mancipiis, ut lubet, atque cum patientia expectet, usque dum nostri Principes ad pedes ipsius abjecti hoc beneficium à se postulent. Atque sic penes illum erit, vel dare pacem hæreticis, vel non ! Interea deliberandi spacium damus.

261. Videamus jam quid sit mysterii, quod dicit Becanus, Imperatorem Sigismundum *fecisse, quod in se est ?* Summa eò redit, voluisse quidem & optasse Imperatorem posse suis verbis, & fidei datæ satisfacere, sed obstitisse sibi Papæ superioritatem, adeoque Imperator Hussio magis obligatus non sit, cum penes ipsum non steterit, fidem datam servare. Resp. 1. Omnino doluit Imperator fidem à se datam per Concilium violatam esse primùm, ut antè diximus de carcere Hussi. Verùm cum hanc limitationem Patres suggessissent, esse quidem fidem servandam aliàs, sed non hæreticis ; tandem bonus Imperator persuasus à Patribus Concilii, acquievit. 2. Non fecit, quod in se fuit, Probo. 1. Quia Imperator noster major est Papa, atque sic contra Papam statuere potuit. 2. Quia consensit in mortem Hussi contra datam fidem. 3. Quia sententiam illam Hannæ & Caiphæ executus est. Quòd si fidem quantum in se fuit, servare voluisset, dicen-

dum ipsi fuisset cum Pilato: Sumite vos illum, & crucifigite illum secundum vestram legem, ego quod promisi constanter & integrè servabo. Non enim Imperatores & Principes sunt ministri & carnifices Papæ, ut quos illi adducunt, hæreticos proclamant, & ad ignem damnant, mox exequantur: sed sunt magistratus, ad quos pertinet jus gladii, adeoque in ipsius manu fuit, vel crucifigere vel dimittere. Adde quod Becanus ipse scribit, *Principem posse hæretico salvum conductum dare eundi & redeundi, fol. III.* quod facta est, non fecit Imp. quod in se fuit. Sed hic latet anguis in herba, & cum glossa Jesuitica accipiendum est: *Si Papa voluerit.* Extra hanc glossam sibi ipsi contradiceret. Si enim quæro; cur Imp. datam fidem Hussio non servarit? Respondet Becanus, Papa tanquam superior non voluit. *Nihil igitur aliud est Jesuitis: facere quod in se est, & non manere obligatum hæretico; quàm Principem secularem non teneri servare fidem hæretico datam!*

262. Hactenus Becanus: objiciunt alii. 1. Pacem hanc libertatemq; Cæsari vi & ferro extortam esse, ideoque invalidam. Vide Francisc. Burghard. in *Autonomia Resp. I.* Hoc nobis tribuit hic homo, quòd si ipsi diceremus, crimen læsæ majestatis tanquam telum in nos torqueret, quasi minus reverenter de summo Imperatore, & loqueremur & sentiremus. Sed huic Autonomo liberum est calumniari. 2. Si videatur status illius temporis, eo loco res Cæsaris fuerunt, ut talis vis aut metus in eum cadere non potuerit. Habebat enim aliquos Principes jam in sua custodia, reformationis capita. Tum fortissimo Carolo Imp. terrorem nemo incussit: ipse aliis terrori fuit. 3. Pugnatum hoc cum definitione edicti, quod est constitutio Principis, qua ille motu animi libero aliquid edicit. Unde formulæ hujus quoque edicti præmissa verba sunt illa: *Ordinamus, volumus & mandamus.* 4. Posito quod metu adactus Imp. (quod falsum) non tamen contractus simpliciter est

infirmus

infirmus. Sed distinguo hic inter metum gravem, qui infertur (viro forti & constanti) vel enim justè infertur vel injustè. Si injustè infertur, potest aliquando rescindi contractus: si justè, nullo modo. Vnde dicit Vlpianus l. 3. ff. quod met. ca. Vim accipimus eam, quæ contrà bonos mores fit: non eam, quam magistratus rectè intulit. Iam verò suo jure usi sunt Principes & tanquam magistratus, præcipuaque membra Imperii, libertatem religionis petierunt & pacem politicam. Pacem autem petere est res honestissima, pacem cum omnibus habete dicit Apostolus. Quare vana est hæc objectio.

263. II. Objicitur, pacem & libertatem illam religionis modò ad tempus datam esse, usq; Concilium Tridentinum scilicet: jam verò expirasse cum Concilio, sublatam, & nullam esse. Vide inter alios Windeck. in Prognostico f. 326. Vbi ait: *Hæc lex (scil. libertatis religionis) in conventu quodam Passaviensi, assentientibus plerisque Imperii ordinibus, SANCITA ESSE DICITUR: quæ tantisper servanda esset, donec per Concilii Canones constaret, quid sequendum aut fugiendum. Et addit impudenter: liquet comitiorum decretare religionem nemini indulgere, sed protestantibus tantum MORATORIUM, DILATIONEM ET TOLERANTIAM concessisse, paulò post: miramur vecordiam sectariorum, qui pro libera religione tuenda, toties comitiorum decreta contrà nos stultissime detonare & deblaterare solent.* Resp. 1. Quantum studium sit Antichristi tabulas has pacis perforare & percurrere; id per fidelem hunc suum ministrum palàm facit. 2. Quanta impudentia rem agat hic malæ causæ procurator, patescit I. Quod verba transactionis Passaviensis docent, illud firmiter servandum, quod de religione in sequentibus comitiis constitutum fuerit. Deinde verba constitutionis imperialis supra allegata videantur, apparebit sole clarius, eò usque pacem religionis fovendam esse, usq; diffidium hoc amicè componatur, quod quandiu non fit,

pace hac fruamur, D E O clementer ita providente, rum-
pantur hostes pacis & Ecclesiæ D E I!

Q U Æ S T I O I V.

*Quales subditi (qui hæretici sunt vel dicuntur)
se gerere debeant erga magistratum, ut impunè
sub eo vivant?*

264. Quales esse debeant, qui sub magistratu piè & tranquillè vivere volunt, ex superioribus satis liquet: nimirum non rebelles, non facinorosi, non seditiosi esse debent: sed obedientes & subditi, ut loquitur Apostolus *Rom. 13. 1.* Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, non enim potestas est nisi à D E O: quisquis autem resistit potestati, D E I ordinationi resistit. v. 5. oportet igitur esse subditos non solùm propter iram, verùm etiam propter conscientiam, *1. Pet. 2. 13.* subditi estote cuivis humanæ creaturæ propter Dominum, sive Regi præcellenti, sive Præsidibus.

265. Obedientia subditorum est varia. Nec lubet hic officium subditorum & magistratus per omnia discutere. Tantùm ea movebimus, quæ ad nostrum institutum faciunt 1. sc. quatenus subditus in causa religionis magistratui obedientiam præstare debeat? 2. In specie de August. Confess. subditis quæremus, an illi magistratibus suis sint fideles, qui diversam à se doctrinam profitentur?

266. Primò igitur quæritur, siquidem magistratus in politica obedientia subditorum (quæ consistit in honore, vectigali & tributo promptè & liberaliter solvendo, licèt aliquando immoderatè per Tyrannidem exacto) non acquiescat: sed præterea subditos ad cultum verbo D E I contrarium astringat, adeoq; conscientiæ vim inferat; quid in tali casu faciendum? Hic respondet Apostolus Petrus,

Act. 5.

Act. 5. 29. oportet DEO magis obedire, quàm hominibus, non enim justum est in conspectu DEI, homines magis audire, quàm DEUM ipsum, *Act. 4. 19.* Et Christus ipse ita postulat, *Matth. 22.* Date DEO, quod DEI est, & Cæsari, quod est Cæsaris.

267. Hinc Sp. Sanctus exempla in sacris commendat eorum, qui in rebus impiis & illicitis magistratui obedientiam recusârunt, *Exod. 1. 16.* præcipiente Pharaone obstetricibus, ut masculos Hebræos in partu interficerent; illæ timentes DEUM, non fecerunt secundum præceptum Regis, *1. Sam. 22. 17.* Saul satellites suos jubet Sacerdotes Domini innocentes interficere: sed illi noluerunt. *Daniel. 3. 14.* Rex Nebucadnezar ad Sadrach, Mefach & Abednego ait: quòd si non adoraveritis statuam quam feci, mittimini in fornacem ignis ardentis: sed illi recusârunt. *Daniel 6. 7.* Præceptum Darii est, ne quis DEUM quicquam oraret, quod Daniel non servat. *2 Maccab. 7. 1.* Mater cum 7. filiis mori mavult, quàm patrias DEI leges prævaricari. *Ioh. 7. 45.* Emissi servi Phariseorum, ut Christum caperent, non morem gerunt.

268. Non igitur absoluta est obedientia, quæ debetur magistratui, sed limitata & ordinata ad pietatem & honestatem, h. e. ut Confessio Augustana loquitur artic. 16. necessariò debent Christiani obedire magistratibus suis & legibus, nisi cum jubent peccare, tum enim magis debent obedire DEO, quàm hominibus.

269. Et hoc est quod Apostolus Paulus, *Rom. 13.* magistratum definit, esse ordinationem DEI & potestatem à DEO. Quare si à DEO est, & ordinatio DEI, nihil potest contra DEUM aut ordinationem DEI præcipere: ordinatio autem DEI est, ipsi magis obediendum quàm hominibus: plus creatori, quàm creaturæ. Quòd si ergo secus facit & jubet magistratus, nō amplius fungitur officio magistratus, sed insani Tyranni, qui se supra DEUM & ordinationē DEI extollit. Unde & D. Petrus *1. Epist. 2. 13.* Subditos nos esse vult.

vult magistratibus propter Dominum, quòd si verò in falsum cultum consentiamus, idque in gratiam magistratus, non dicimur obedire magistratui propter Dominum, sed contra Dominum.

270. Quare homo Christianus benè memor esse debet illius *Tertulliani*, quod scribit *ad Scapulam*, inquiens: *Christianus nullius hostis est, ne dum Imperatoris: quem sciens à DEO suo constitui: necesse est ut & ipsum diligat & revereatur & honoret & salvum velit, cum toto Romano Imperio, quousq; seculum stabit: tandiu enim stabit. Colimus ergò & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet & ipsi expedit, ut hominem à DEO secundum, & quicquid est, à DEO consecutum, solo DEO minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus major est, dum solo vero DEO minor est: sic & ipsis Diis (intellige terrestribus, hoc est, magistratibus) major est, dum & ipsi in potestate sunt ejus. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed DEO nostro & ipsius; sed quomodo præcepit DEVS, pura prece.*

271. Quomodo autem tyrannidem hanc magistratus declinare subditi possint vel debeant, jam quæstio oritur: An manu armata? An verò aliis mediis fieri debeat? Hic distinctè respondemus ex distinctis subditorum generibus. Vel enim meri sunt subditi: vel tales, qui ipsi quoq; præcipuam magistratus provinciam sustinent, aut certis conventionibus privilegia jurisdictionis Ecclesiasticæ & libertatis religionis obtinent.

272. Si meri subditi sint, ut certi pagi, urbes & provinciæ, quæ jus gladii non habent, omnino ab armis desistant. Sic enim D. Petro Christus gladium ex manibus excussit, inquiens: qui gladium acceperit (nimirum cui legitimè datus non est) gladio peribit: Non obstante, quòd D. Petrus pro honesta causa, pro Evangelio, imò pro ipso Christo pugnaret. Sed sequenda hic est via, quam Christus præscripsit, *Matth. 10. 14. 23.* Si persecuti vos fuerint

fuert in civitate hac, fugite in aliam. Quòd si sanguinolentas tyrannorum manus effugere non possimus: non tamen metuendum nobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt, *Matth. 10. 28.* Sed exemplo sanctorum Prophetarum, Christi, Apostolorum & infinitorum Martyrum Evangelii veritatem coràm mundo constanter confiteri, *Matth. 10. 32. Roman. 10. 9.* imò & sanguine hoc nostro obsignare debemus, cujus testimonii apud DEUM est constituta æterna compensatio. *Matth. 5. 10. c. 10. 22. 39. 1. Pet. 3. 14. c. 4. 12. Apoc. 7. 14.* Atque sic Christiana patientia instructi, cum *D. Tertull. ad Scapulam* dicere debemus: *Absit ut indignè feramus ea nos pati, aut ultionem à nobis aliquam machinemur, quam à DEO exspectamus: dolemus tamen, quòd nulla civitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem!*

273. Alia autem ratio est eorum, qui & ipsi magistratus sunt, & quibus gladius à DEO datus est, quo & vitam & doctrinam suam & subditorum suorum contra vim aliorum defendant. Præcipuè autem hoc suo officio rectè funguntur, si privilegia sua legitima concessa, tueantur. Non enim Evangelium abolet politias & leges humanas, sed eas stabilit potiùs. In hoc igitur casu politica est defensio libertatis patriæ, non cultus DEI simpliciter. Sic Machabæi pro libertate patriæ & religionis non infeliciter pugnârunt contra Antiochum & alios. Ita Constantinus Magnus orthodoxus, contra Licinium Arianum persecutorem arma sumpsit victricia. Quæ exempla tamen non, facilè ad imitationem trahi debent: sed incumbendum est piis Christianis (cum arma militiæ nostræ non sint carnalia, *2. Corinth. 10. 4.*) ut magis patiendo mortem, quàm inferendo aut propulsando veritatem defendant. Quoties enim metimur, plures efficimur, semen enim Ecclesiæ est sanguis Christianorum, inquit *Tertullianus*. Et defendenda est religio non occidendo, sed moriendo, *Lactantius*.

274. Altera quæstio nobis est de August. Confessionis sociis : an tales subditi magistratibus suis sint politicè fideles, qui vel Pontificiæ vel alterius religionis sunt, sub quo vivunt? Hic nihil laborare opus est: tantùm calumnia Pontificiorum Doctorum detegenda est, qui suis magistratibus impudenti mendacio persuadere nituntur : Lutheranos propterea etiam tolerandos non esse, quoniam Pontificio magistratui non sint fideles. Hocque non tantum ipsi magistratuum auribus infundunt : sed & aulicis & iis præcipuè instillant, quos noverunt liberum ad magistratus aditum habere, atque authoritate prævalere, ut mutuam operam hac in re illis præstent. Unde accidit, quod magni quidam viri his persuasionibus fascinati, in familiari sermone de his rebus ita differant, quasi vel ex doctrina nostra vel ex moribus adeoque experientia ipsa demonstrari possint.

275. His respondemus primò, ex doctrina evinci hoc non posse, quandoquidem nullam privatam hic fovemus sententiam, sed eam quæ in Scriptura expressa est (quemadmodum in cæteris omnibus) quod Papistæ noverunt. Quæ sit autem sententia Scripturæ de obedientia subditorum erga magistratum, id jam antè declaratum est. 2. *Ex Symbolo Augustanæ Confessionis patet, quod sic docet artic. 16. Itaq; necessariò debent Christiani obedire magistratibus suis & legibus, nisi cum jubent peccare.* 3. Experientiam testem invocamus. Quis enim quæso magistratus Papisticus hætenus unquam conqueri auditus est de infidelitate subditorum Lutheranorum? Quis Exempli gratia, Augustissimo Imp. nostro in tumultu nuperrimo in Bohemia exorto, adfuit præsentis auxilio? Num Episcopi, Archiepiscopi, Principes Pontificiæ religionis? certè fuerunt Augustanæ Confessionis Principes Imperatori nostro fidelissimi! 4. Calumnia hæc mendacii arguit totam Esauiticam doctrinam de puniendis hæreticis. Quæritur enim, an Lu-

thera-

therani sint occidendi? respondent Papistæ omninò, quia sunt hæretici, qui sunt tollendi. Quòd si infideles essent, multò honestiori prætextu causam suam Papistæ agerent.

276. Verùm accusatores nostros objecti criminis reos facimus, eosque infideles esse magistratibus, probamus ex propriis suorum scriptis: tum irrefragabili rerum experientia.

277. Communis Papisticorum Doctorem sententia est, Regem & magistratum quemvis infidelem (h. e. hæreticum) à Catholicis (h. e. Papistis) subditis non esse ferendum sed tollendum. Vide *Bell. l. 5. de Pontif. Rom. c. 7.* Et rationem affert ibidem, quare in primitiva Ecclesia Reges & Impp. Ethnici à Christianis fuerint tolerati, ideò scilicet tantùm, quia deerant vires temporales, aliàs jure deponendi.

278. Nec tantum regno exuere talem magistratum moliuntur, sed privata cujusque autoritate (in consilium adhibito Jesuita vel Sacerdote) ferro vel veneno tollendum esse clamant. Vide *Marianam Iesuit. Tolet. de Rege. l. 1. c. 6. & 7.*

279. Ex hac Catholica Romanensium doctrina tot horrendæ proditiones natæ sunt, tanquam ex arbore fructus, pauca exempla, sed illustria degustabimus. Ex consilio Papæ & benedictione Cardinalis missa est classis instructissima ex Hispania in Angliam, Anno 1588. ut Reginam Elizabetham, & incolas, Regni Dominos, tanquam hæreticos, gladio tolleret, atque sic Hispanica fraude & tyrannide regnum Angliæ ad Papæ jugum reduceretur.

280. Ex eodem Consilio fluxit, quod Monachus quidam effrenis, proditor, Regem Galliæ Henricum III. nefaria manu trucidavit, quod suspicio quædam hæresis de eo fuisset: aut quod non eo studio in hæreticos animadverteret, quo Papa præscripsisset.

281. Hinc discipulum quendam (nomine Castellum) Jesuitæ Parisienses ad parricidium induxerunt Regis præsentis Henrici I V. Tum plurimi alii à Papa & Catholicis Romanis subordinati sunt, quorum aliqui detecti: nulla alia de causa; quàm ut Regem tanquam hæreticum ab officio removerent, quocunque modo possent.

282. Hoc consilio *Henricus Garnetus Iesuita*, Dux conspirationis Anglicæ, cum sociis aliis, à Papa missus in Angliam venit Anno 165. in conjurationem assumptis aliquot Nobilibus regni Angliæ, Regem & omnes Regni ordines, in Comitibus Londinensibus, supposita pulveris tormentarii copia uno ictu tollere machinatus est, nisi singulari providentia DEI insidiæ hæ patefactæ fuissent.

283. Eadem hac doctrina, eodemque spiritu agitati, Papisticæ impietatis socii quidam, non obscuri nominis, neque ita pridem in nostris regionibus conati sunt viros Principes proditoriè tollere, alios veneno, alios submisso sicario.

284. Hi sunt fructus inquam doctrinæ Papisticæ. Ex quibus patet, eo ipso crimine teneri hos accusatores, quod aliis falsò & per calumniam affricare gestiunt. Quæ & quanta sint mala, quæ Papa Romanus & satellites ipsius perfidi, Jesuitæ, Ecclesiæ DEI & Principibus Germaniæ protestantibus spirant, facile dici non potest, imò non cogitari, nisi quæ hætenus DEUS per unum & alterum hujus Catiliniaræ aliquando sectæ socium, & ipsa experientia innotescere voluit; Ea scilicet, quæ quis sine horrore vel legere vel mente repetere non potest. In quem finem? quàm ut principes & magistratus custodes & vigiles se præbeant commissi gregis sui, tanquam rationem aliquando reddituri DEO administratæ provinciæ, si & ad DEI ipsius verbum populum informaverint, & à sævis his lupis, tot exemplis præmoniti, rectè defenderint?

285. Haftenus igitur ostendimus, Papifticos Jefuiti-
cos Dd. effe hæreticos, Esauitica crudelitate infignes,
perfidos, infideles & proditores. DEUS Opt. Max. vel hu-
maniozem & faniozem mentem illis concedat, vel
Ecclefiam fuam contrà eorum rabiem, tan-
quam portas inferorum, ut benigniffimè
hucusq; , fic & postmodum fervet &
tueatur, AMEN.

Ornatissimum Virum,
 Dn. M. Franciscum Arnoldum.

Quis vos exagitat, Jesuada, furor
 Humanique sitis sanguinis, improbos:

Vt, qui vestra recusent

Amplecti impia dogmata,

Ignem, undas, gladio, fune, rota, cruce,

De terra pereant? Scilicet improba

Vestratis Loiola

Hæc natura fuit patris,

Hispani stratiotæ! Hocce videlicet

Rerum à principio Dæmonis inferi,

Cujus vera propago

Estis, ingenium fuit.

Est certè in catulis, est in equis patrum

Virtus! non aquila progenerant truces

Cassam felle columbam,

Prolem sed similem sui.

Non hoc Christiadis ingenium, Patris

Non est filiolis mens ea cœlici:

Norunt quo patre agantur

Nati cœlite Spiritu.

Ergò

*Ergò atri furias Daemonis, impigro
Solertè retegis quòd studio, pium,
Chare ARNOLDE, laborem
Et gratum exequeris DEO.*


*Christophorus Helvicus, Hebrææ
Græcæq; linguarum in illustri
Giessena Professor, Dn. M. Frã-
cisco Arnoldo, suo amico caris-
simo F.*

A L I U D.

NIL nisi carnifices flammæ restimq; securimq;
Hæresis Hæreticis una minata fuit:
Non ita CHRISTVS. ab hoc quantum illa Ecclesia
Quæ fuit in quosvis igne, cruce, & gladio? (differt,
CHRISTVS ait: Lolium supremam crescat in horam,
Ne pereant lolium & plurima granda simul.
Quis sit, & in quali censu contraria mandans,
ARNOLDE, ætherii differe mente animi.
Quod facis è Tubiæ cathedrâ: Giessæa dedisset
His operis etiam pulpita honora tuis.

*Conradus Bachmannus Pöes. & Histor. Professor.
in Academia Giessena.*

F I N I S.



FUNDACION UNIVERSITARIA SAN PABLO CEU



7103535

Biblioth. E. v. d. Vekene

Signatur : I.80.1008

Inventur : Jan. 1989.

Standort :

